DE
DECIMIS.

PRO FEVDO ORDONENSI COLLEGII ROMANI. SOCIETATIS IESV.

COMMENTARIOLVM.

Exponuntur priuilegia immunitatis a ſolutione Decimarum a Sede Apoſtolica Societati IESV conceſſa.

CAPVT PRIMVM.

PRo Ordonenſi agro Collegij Romani Societatis IESV a ſolutione prædialium Decimarum Aſculanæ Eccleſiæ debitarum Priuilegia exemtionis ab onere quarumcumque Decimarum, quæ eadem Societas a Sede Apoſtolica obtinuit, eam minime liberare probari poteſt *Richardi Cantuarienſis Archiepiſcopi* doctrina apud *Petrum Bleſenſem Epiſtola* 82. *ad Ciſtercienſes Patres* conſcripta. Cuius illa ſunt verba. *Licet vos diligamus in Chriſti viſceribus, & in caritate non ficta, grauem tamen, & publicam ad vos de vobis querelam deſerre compellimur. Nam cum per gratiam Dei Domus veſtra nominatiſſima ſit in obſeruantia Ordinis, & perſeuerantia ſanctitatis; periculoſum eſt pro re modica titulum, & gloriã tantæ opinionis perdere, atque conuertere in famæ diſpendium compendiũ temporale. Inter vniuerſas Ordinum varietates, quibus decorata eſt ſponſa Chriſti, nullus Ordo virtute fragrãtior, nullus Sancti nominis odore ſuauior eſt in Chriſto, quam veſter; Si rem vnicam amoueritis de medio, per quam hoſtis humani generis ſinceritatem veſtram attentare præſumit. Scitis, quod omnium malorum radix eſt cupiditas; publice tamen dicitur; & nos idipſum cum lacrimis recenſemus, quod vſque ad Congregationes veſtras auſa eſt irrumpere illa tranſgreſſionis mater, magiſtra nocendi primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, fouea ſcandalorum. Renunciaſtis mundo, & cupiditatibus eius, atque cum Ioſue veſtram in vobis ſpiritualem Iericho, & cum Achan filio Charmi lapidibus obruitur, qui de anathemate Iericho rapuiſſe conuincitur. Verbum Tobiæ eſt. Videte, ne furtiuus ſit. Furtum ſiquidem committitur, quoties res aliena, inuito Domino contrectatur. Sed & rapinæ crimen in iure ciuili furtum improbius definitur. Neminem prædonem vocamus, aut furem: ſed veremur, ne veſtram ſugillet opinionem, ſi rem concupiſcitis, aut rapitis alienam. Vna omnium vox eſt, quia Ciſtercienſis Ordinis profeſſores tanto differentius præ ceteris triumphales ſanctitatis titulos referunt; quanto expreſſius* Religionis *Apoſtolicæ veſtigijs inhæſerunt; cum in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigilijs, in confeſſionibus, in diſciplinis, in Pſalmis, in humilitate, hoſpitalitate, obedientia, caritate, & ceteris, quibus fructus vitæ ſeminatur in terris, deprimatis carnem; ſpiritum erigatis. Angelicæ vitæ ſinceritati vos homines compararent, niſi cum vobis in fauorem pleniſſimum laus hominum*

communis aſſiſtat; vnum, niſi clamaret in contrarium, tantamque glorioſæ opinionis faciem decoloraret. Et quæ eſt iſta maledicta coniunctio, niſi, quæ a Chriſti gratia, & fauore hominum vos diſiungit? Inuiti, & dolentes hoc dicimus, ſed ad dicendum murmur vniuerſorum, & immunis querimonia nos compellunt. Vota, & linguæ omnium in veſtræ ſanctitatis præconium laxarentur; niſi raperetis, quod alienum eſt, niſi Monachis, & Clericis Decimas auferretis. Hæc eſt coniunctio quidem, & dictio ſatis modica, ſed quæ vitam veſtram non modice dehoneſtat. Teſtimonio Sacræ paginæ Decima tributa ſunt egentium animarum. Et quæ eſt hæc iniurioſa immunitas, vt exemti ſitis a Decimarum ſolutione, quibus obnoxiæ terræ erant, ante, quam veſtræ eſſent, vt quæ ſolutæ ſunt hactenus non perſonarum obtentu, ſed territorij ratione? Si in veſtram poſſeſſionem terræ deuolutæ ſunt: quare in hoc periclitatur alienum ius? Nam ad vos terræ iuxta communem æquitatem cum ſuo onere tranſierunt. Vt quid in alienam iniuriam terras, & nutrimenta veſtra priuilegiari facitis, vt auferatis quod alienum eſt? Numquid Abel de nutrimentis ſuis Dominum non reſpexit? Numquid iuſtiores eſtis primo omnium iuſto? Vt vos contra Dei iuſtitiam erigatis? Per Prophetam præcepit Dominus Decimas inferri in horreum ſuum; vos ab eius horreo iubetis auferri. Habet iuſtitia diuinæ legis, vt in Leuitarum ſortem cedant Decimæ. Vnde, & iuſtitiæ Dei manifeſte reſiſtit, qui miniſtris Eccleſiæ nititur ius Decimationis auferre. Sane his & conſimilibus ſatis liquet, quod ſi virtus Obedientiæ eſſet in ſolutione Decimarum, aut redituum, aut in exhibitione iuris alieni; facile detrectaretis obedientiæ iugum. Milites Galliarum ſibi ius Decimationis vſurpant, nec veſtris priuilegijs deferentes, eas a vobis potenter extorquent. Aduerſus eos deberetis inſurgere; non aduerſus Clericos, aut Eccleſias Clericorum. Deberetis recolere vos quandoq; fuiſſe Clericos, & ſacramenta ſalutis in eorum Eccleſijs percepiſſe. Sed Chriſtianæ profeſſionis vinculum, & deuotio filialis affectus priuignales induit, & ſub religionis prætextu tranſijt in contemtum. Non ponimus os noſtrum in cœlum, nec de facto Summi Pontificis diſputamus. Sed ſi Dominus Papa indulgentia ſpeciali aliquando vos priuilegiauit, dum Ordo veſter in paupertate gaudebat; dum in vſus egentium ſuæ tenuitatis viſcera liberaliter effundebat: potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret iniuriam, quod cauſa neceſſitatis fuerat introductum. Nunc autem, quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatæ ſunt, etiam in immenſum: priuilegia hæc potius ambitionis quam religionis inſtrumenta cenſentur. Quidquid indulgeant priuilegia Romanæ Eccleſiæ: vobis expedire non credo contra conſcientiam veſtram, quod alienum eſt vſurpare. Quod ſi a Sede illa publicum emanaſſet edictum, quod vbicunque inueneritis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis liceret eos de ſuis euectionibus deijcere, & equos in vſus proprios retinere? Quid intereſt equos rapiatis, an Decimas? Niſi quia Decima res ſpiritualis eſt, & ideo enormius ſacrilegium in Decimis committitur, quam in equis. Cum

Domi-

Dominus præcipiat Decimas ſolui; quis contra eius præceptum potuit diſpenſare? Vbi diuina, & humana iuſſio ſibi inuicem contradicunt; obediendum eſt Deo magis, quam hominibus. Cumque ſint duæ leges, exterior, & interior: ſemper interior præiudicat; quodque puritas conſcientiæ dictauerit; eteriori præcepto fortius eſt, & omnem indulgentiam alienæ diſpenſationis euacuat. Si filij Iſrael de mandato Domini, & in retributionem longi obſequij, quod Aegyptijs impenderant; eis vaſa argentea, & aurea abſtulerunt: non expedit vos hæc ad conſequentiam trahere; niſi conſtet Dominum hæc mandaſſe, & vos nobis, tanquam Aegyptijs longum obſequium impendiſſe. Conſultius ergo, & modeſtius agentes, date operam, vt prædictæ ambitionis nota, quæ veſtræ ſanctitatis nomen obſcurat, abſcindatur a vobis, nec pro rebus periturís commune in vos ſcandalum excitetis. In reſtitutione rei alienæ non credatis conditionem veſtram in aliquo lædi. Nam ſiquid vtilitati veſtræ deperit in hac parte; deuotio populorum, quæ nunc plurimum turbata eſt, pleniore munificentia reſtaurabit. Quod ſi pertinaces vos, & inflexibiles exhibetis: vinculo anathematis innodabimus vniuerſos, qui vobis aliquid dederint, aut vendiderint, vnde ius Decimationis obueniat; atq. in cœlum clamabimus, & ad thronum ſummi iudicis appellabimus; nequis huius vinculum excommunicationis abſoluat. Principum etiam fauorem in hoc pleniſſime obtinebimus, vt gladio ſpirituali manus ciuilis aſſiſtat, & quidquid contra Principale Oraculum venditum, aut donatum vobis fuerit; confiſcetur. Ante, quam ergo res in deteriorem vergat exitum; veſtræ famæ maturius prouidentes, velitis aſſueſcere ſolutioni Decimarum illarum maxime quas cum maiore omnium odio vſurpatis, & quas Monachi, aut Clerici hactenus perceperunt. Nam ſi de Noualibus tantum, ſicut Beatæ recordationis, Hadrianus Papa conſtituit, Decimas retinetis: nobis in ea re damnum erit tolerabilius; cuius emolumenta non ſenſimus. Verum iuxta Philoſophum Non ſine dolore amittitur, quod iucunde, & commode poſſidetur. Hactenus *Bleſenſis* pro Cantuarienſis Eccleſiæ Præſule.

Contra vero cum *Sanctus Raymundus lib.* 1. *Tit. de Decimis.* §. 2. generatim concluſiſſet Monachos albos, & nigros, Templanos, & Canonicos Regulares ad Decimas teneri pro poſſeſſionibus, quas poſt Generale Concilium vel donationis titulo obtinuerunt, vel quas emerunt pro Monaſterijs de nouo fundandis. Quia aliter non liceret eis tales poſſeſſiones emere, de quibus Decimæ Eccleſijs debebantur, etiã ſi illas proprijs manibus, & ſumtibus excolerent. *c. nuper. de Decimis.* Hæc ſubiecit. *Hoc verum, niſi ſint vlterius priuilegiati a Papa, vel niſi poſſint ſe præſcriptione tueri.* Ita *S. Raymundus.* Priuilegia vero hæc Regularibus a Sede Apoſtolica poſtea conceſſa teſtantur *Soccinus vol.* 2. *Conſilio* 297. *Verſic. Quibus non obſtantibus. Ioan. Baptiſta Ferrettus vol.* 1. *Conſilio* 156. *initio. Petrus Enriquez Conſil.* 67. *ex num. præſertim* 15. *Ioannes Baptiſta Confectius,*

& Al-

& *Alphonſus Caſarubius in Collectionibus Priuilegiorum regularium*. Et nominatim de Societate IESV *Rota Romana* multis in locis, de quibus infra. & *Ioannes Guttierrez* abſolutiſſimo *Conſilio* 5. *nu*. 2. Vbi affert priuilegium a *Paulo Tertio* Pontifice Societati in hæc verba conceſſum.

Concedentes ipſis Socijs, vt de ijs, quæ in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, ſeu pro victu, vel indumentis eorum, nec non pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ Domus Societatis prædictæ obligatæ forſan exiſtant, ac de Domibus, & Collegijs, ac eorum prædijs, hortis, alijſque locis eiſdem Socijs iuxta eorum viuendi inſtitutum haberi cōceſſis, aut de ijs, quæ ſibi pro huiuſmodi rebus, Domibus, Collegijs, Prædijs, Locis, & Hortis emendis per quaſcumque perſonas pro tempore largiri, aut relinqui contigerit. Et alijs bonis quibuſcumque per dictam Societatem, & ipſius Collegia poſſeſſis, & obtentis aliquam Decimam, etiam Papalem ſoluere, ſeu Canonicam Portionem exhibere, ſeu ad præſtationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nunciorum ipſius, aut Ordinariorum locorū, aut exactionum Collectarum, ſeu Subſidiorum quorumcumque minime teneantur. Hæc in eius Priuilegij clauſula. Quā eandem conceſſionem confirmauit poſtea *Gregorius Decimus Tertius*. Bulla pro Societate. Cuius initium eſt. *Paſtoralis Officij*. Adiecta Clauſula derogatoria *c. Nuper de Decimis*. Quod *Suarez* animaduertit *Tom*. 1. *de Relig. lib*. 1. *c*. 19. *n*. 2. Perpendit *Guttierrez* genericam illam locutionem. *Bona quæcumq;*. Vnde doctiſſime colligit nullum eſſe penitus bonorum genus ab eo Priuilegio exceptum. Interpretationem hanc in eadem re comprobat *Decius vol*. 1. *Conſilio* 113. Poſt multa *ex nu*. 17. *Guttierrez* difficultatem examinat ex illis Priuilegij verbis ſubortam. *De bonis quibuſcumque per dictam Societatem, & ipſius Collegia poſſeſſis, & obtentis*. Quaſi vero diuerſum ſit iudicium de bonis eidem Societati in poſterum quocumque titulo quærendis. ex *cap. Vltim. de Decimis*. Ob quam rationem *Oldradus Conſil*. 268. Priuilegium exemtionis à ſolutione Decimarum ſpectare negat ad bona poſt Priuilegij conceſſionem acquiſita. Eum ſecuti ſunt *Petrus Rebuffus Tract. de Decimis quæſt*. 13. *nu*. 114. & alij nonnulli. Vt teſtantur *Couarruuias libro* 1. *Variarum cap*. 17. *nu*. 14. & *Guttierrez lib*. 1. *Practicarum Quæſtion. cap*. 21. *nu*. 129. Eamque tribus modis explicat. Poſtremo concludit ſenſum eius vocabuli *Poſſeſsis*. Eſſe, vt intelligatur reſpectu cuiuſcumque temporis, ſiue ante, ſiue poſt Priuilegij conceſſionem. Iuxta *cap. Quia circa, de Priuilegijs*. Ne ſi ſecus acciperetur; Priuilegium inane ac nugatorium redderetur. Idem de Priuilegij huius interpretatione ſentit *Suarez tomo* 1. *de Religione libro* 1. *cap*. 19. *nu*. 7. Qui affert alios. Id autem hic animaduerto, ſi *Ferretti* doctrina recipiatur, ab eo tradita *Conſilio* 156. initio, hoc eſt, Priuilegia exemtionis a ſolutione Decimarū Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, & Monialibus Sanctæ Claræ a Romanis Pontificibus *Clemente Quarto*, *Bonifacio Octauo*, *Eugenio*

Quarto

Quarto, Sixto Quarto, & Leone Decimo; cum clauſula, *De bonis poſſeſſis, & poſſidendis*. communicata cenſeri Fratribus Eremitanis, Ieſuatis, & reliquis Regularibus. Quam etiam opinionem probarunt *Emmanuel Rodericus Tomo 2. Quæſt. Regular. Quæſt. 44. Art. 4. Ludouicus Miranda Tomo 2. Prælatorum Regularium Quæſt. 49. Art. 12. & 13. Ioannes Crucius Tract. de Statu Religionis libro 2. cap. 9. Dubio 4. Alexander Peregrinus in Collectione Priuilegiorum Patrum Theatinorum Parte 1. Titulo Exemtio. §. 3.* & apud eos alij. Verum quia ſententia hæc non vacat difficultate. Vt monuit *Rota Romana*, teſte *D. Ioanne Baptiſta Coccino* eius Prætorij Decano in nuperrimis Deciſionibus ab eo collectis, *Deciſione 279. nu. 3.* Quæ negauit Priuilegium exemtionis a ſolutione Decimarum Regularibus conceſſum, cum ſtricti iuris ſit per communicationem Priuilegiorum, qua viciſſim illi gaudent, niſi aliud de mente concedentis conſtet, communicatum cum eiſdem clauſulis cenſeri, quæ in primaria conceſſione adhibitæ ſunt: ob eam rem alia ratione interpretatio illa ſupra poſita, ſuffulcienda eſt. Illa vero eſt, quam noſtra ætate *Franciſcus Reuerterius* Deciſione inter Conſilia Camilli de Medicis *Conſilio 52.* explicauit. Id eſt exemtione ab onere Decimarum pro bonis præteritis, & quæſitis comprehendi bona quoque futura, & quærenda poſt Priuilegium. Notabilia in primis ſunt, quæ ſcripſit *Henricus Henriquez libro 7. Qui eſt de Indulgentijs. Cap. 27. num. 7.* Vbi exemtionis a ſolutione Decimarum Priuilegium ceſſare debere arbitratus eſt, ſi propter Regularium in communi opulentiam magno detrimento ſit ſecularibus Eccleſijs, quæ Decimis ſibi debitis priuantur. Niſi Romani Pontificis benignitas ſingulare exemtionis Priuilegium publicæ Eccleſiæ vniuerſæ vtilitatis cauſa alicui Religioni largiatur, quo tempore abundat Religio illa Cœnobijs, ac reditibus. Ita enim ad maius Dei obſequium, & Catholicę Eccleſię commodum nihil prohibet, quo minus Pontifex exemtionis Priuilegium non modo concedat ratione bonorum, quæ Religio compararit, ſed etiam, quæ poſt Priuilegij conceſſionem acquiſitura ſit. Et addat expreſſam derogationem *cap. Nuper. de Decimis*. Quia nec de voluntate Principis, nec de poteſtate dubitare licet. Et ſine eiuſmodi ſecularibus Eccleſijs facto in hac re præiudicio, inutile Regularibus Priuilegium futurum eſſet. Et in *Annotationibus littera H.* Ita Romæ, & in Hiſpania pro Societate paſſim iudicatum narrat. Nec dubium eſt, quin pro Societate tulerit *Rota Romana* ſententiam apud *Seraphinum volum. 2. Deciſione 1293.* & apud *Hieronymum Ceuallum Tract. de Cognitione per viam violentiæ Parte 2. Quæſt. 25. n. 41.* Cuius illa ſunt. *Reſpectu vero Religioſorum Dominicorum, Sancti Hieronymi, & Ieſuitarum vigore Priuilegiorum, quibus derogatur c. Nuper. de Decimis. bis fuit in Rota, nemine contradicente, reſolutum his Religioſis ſua Priuilegia non ſuffragari. Coram Pamphilio, & Seraphino. Et ratio eſt, quia in Priuilegijs horum Reli-*

gioſorum facta non eſt mentio donationis huius Regiæ, ſeu Tituli ſpecialis, quo Epiſcopi,& Capitula Eccleſiarum Hiſpaniæ poſſident Decimas ex Regia Donatione, ſeu Titulo. Et tamen de illis facere ſpecialem mentionem oportebat. Rodericus Suarez Allegatione 28. Quæ placuit Rotæ. Nec obſtat Deciſio 1. Caſſadoris. de Priuilegijs. Quia fuit reſponſum illam procedere de iure Decimarum debitarum de iure communi. Secus autem eſſet reſpectu Decimarum debitarum Epiſcopis,& Capitulis Eccleſiarum de iure,& Titulo ſpeciali, de quo in Priuilegio Religioſorum facta non eſt mentio. Hæc Deciſionis eius ſumma.

Eleuatur Bleſenſis autoritas.

CAPVT SECVNDVM.

NEminem eſſe exiſtimo, cui exploratum non ſit, quanta inter priſcos Patres doctrinæ, ac ſanctitatis *Petrus Bleſenſis* laude floruerit, quantoq. apud Chriſtifideles in pretio habendus ſit: verumtamen vbi de Religioſorum hominum Priuilegijs, & exemtionibus agitur, palam is fecit, nimio Epiſcoporum, quo tenebatur, ſtudio minus integrum ſuum eſſe teſtimonium. Vſque enim eo Regularium immunitatem acriter oppugnauit, vt Pontificiam in eos munificentiam liberius aliquanto, quam par erat, cohibere veritus non ſit. Fragmentum *Epiſtolæ* 68. ad Romanum Pontificem *Alexandrum Tertium*, miſſis breuitatis cauſa, alijs non paucis, hic attexam. *Aduerſus Primates*, inquit, *& Epiſcopos intumeſcunt Abbates, nec eſt, qui maioribus ſuis reuerentiam exhibeat, & honorem. Euacuatum eſt obedientiæ iugum, in qua erat vnica ſalus, & præuaricationis antiquæ remedium. Deteſtantur Abbates habere ſuorum exceſſuum correctionem; vagam impunitatis licentiam amplectuntur, clauſtralisq. militiæ obſeruantia laxatur in omnem deſiderij libertatem. Niſi malo huic maturius remedium adhibeatur: verendum eſt, ne ſicut Abbates ab Epiſcopis; ita Epiſcopi ab Archiepiſcopis, & a Prælatis ſuis Decani, & Archidiaconi eximantur. Et quæ eſt hæc forma iuſtitiæ, aut potius iuris deformitas, prohibere, ne diſcipuli magiſtro conſentiant, ne filij patri pareant, ne milites ſequantur Principem, ne ſerui domino ſint ſubiecti? Quid eſt eximere a iuriſdictione Epiſcoporum Abbates, niſi contumaciam, ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? Videant hæc quæſo, & iudicent, qui iudicant Orbem terræ. Ne inde emanare videantur iniuriæ, vnde iura ſumuntur.* Ita *Bleſenſis* Mutuatus videtur *a Sancto Bernardo* verba, quæ ille *Tertio ad Eugenium Pontificem de Conſideratione libro*, ſcripſit. *Murmur loquor, & querimoniam Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant, ac demembrari. Vel nulla, vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iuſtam.*

alias,

alias.*inuſtam non ſentiant. Quæris,quam? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis,Epiſcopi Archiepiſcopis,Archiepiſcopi Patriarchis ſiue Primatibus. Bonane ſpecies hæc? Minus,Si excuſari queat vel opus.Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis,ſed iuſtitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia poteſtis,ſed vtrum debeatis Quæſtio eſt. Honorū,ac dignitatum gradus & ordines quibuſq. ſuos ſeruare poſiti eſtis,non inuidere, vt quidam veſtrorum ait. Cui honorem, honorem Spiritualis homo ille,qui omnia dijudicat,vt ipſe a nemine iudicetur, omne opus ſuum trina conſideratione præueniet. Primum quidem,an liceat;deinde,an deceat;poſtremo,an expediat. Nam etiamſi conſtet in Chriſtiana vtique Philoſophia non decere, niſi quod licet;non expedire,niſi quod decet,& licet: non continuo tamen omne, quod licet,decere, aut expedire conſequens erit. Age. aptemus,ſi poſſumus,tria operi huic.Quomodo non indecens tibi pro voluntate pro lege vti; & quia non eſt ad quem appelletis, poteſtatem exercere, negligere rationem?* Ad extremum ita concludit.*Nonnulla tamen Monaſteria ſita in diuerſis Epiſcopatibus, quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem Apoſtolicam pro fundatorum voluntate quis neſciat? Sed aliud eſt, quod largitur deuotio; aliud quod molitur ambitio impatiens ſubiectionis.* Hæc, aliaque complura in hanc ſententiam.*S.Bernardus*, cui ſubſcripſit haud dubie totidem *Bleſenſis* verbis. Audiantur, ſi vacat, quæ idem *Bleſenſis* Gulielmo fratri ſuo Maniacenſi Abbati *Epiſtola* 90. de eodem ferme argumento ſcripſerit.*Retulit mihi nuncius veſter, qualiter Dominus Papa vos mitra proprij capitis,& alijs ornamentis Epiſcopalibus inſigniuit. De benedictione gaudeo;ſed inſignia Epiſcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo,nec accepto.Mitra enim,& anulus, atque Sandalia in alio, quam in Epiſcopo quædam ſuperba elatio eſt, & præſumtuoſa oſtentatio libertatis. Talium vſus eſt in Eccleſijs dedicandis,in conſecrandis Virginibus, in ordinibus celebrandis.Quare igitur his vtitur,aut potius abutitur, qui talibus vti prohibetur? Homini hæc habenti, & non vtenti ſunt potius oneri, & ludibrio, quam honori. Ambigena non generant,teſte Hippocrate. Quod igitur genitalia in mulo faciunt; hoc Sandalia in Abbate. Numquid hæc abuſio Epiſcopalium emanauit a Regula Sancti Benedicti?* Infra.*Nec blandiatur ſibi aliquis,quod per Priuilegium Romanæ Eccleſiæ ab inobedientia excuſetur.Deus,apud quem melior eſt obedientia, quam victimæ; quidquid emancipet;aut priuilegiet homo, inobedientiam deteſtatur. Si vnum Deus præcipit;aliud indulget,aut præcipit homo; obediendum potius Deo, quam homini.*Infra.*Si Romanus Pontifex a iuriſdictione veſtri Epiſcopi vos exemit; nolite quæſo vti Priuilegio, quod materiam rebellionis inducit.* Hactenus, eoque *Bleſenſis* longius.Qui modo non Apoſtolicæ Sedis Priuilegia deteſtatur.Modeſtius *Thomas Cantipratenſis* Sancti Thomę Aquinatis condiſcipulus,*libro* 1.*Apum.Cap.6.Vel* inquit, *coronas dicere poſſumus ſecundum ſtatuta Eccleſiæ Infulas Prælatorum,quibus non omnibus,ſed fere ſolis*

lis Epiſcopis vti licet. Abuſiue tamen quidam Abbates de nouo magna mole pecuniæ bis vtuntur. Abuſiue, inquam, niſi forte vſum paucorum dierum dixerim contra iura Ciuilia, quæ vſum temporis non dicunt, niſi quantum legitima ætas hominis in octoginta annis plenius approbaſſet. Certus ſum autem, quod hoc niſi in pauciſſimis, & ſpecialiſſimis quibuſdam Galliæ Monaſterijs, vt Sancti Dionyſij, & Cluniacenſi, niſi antiquis temporibus, hoc non ſiebat. Quibus tamen hoc propter vitæ eminentiam ſpecialibus Priuilegijs eſt conceſſum. Hęc ille. Is eodem *libro* 1. *cap.* 20. Non procul a fine. Vbi ſermo de Sancto Thoma incidit. *Venienti*, inquit, *mox a Papa præcipitur, vt regimen Abbatiæ Montis Caſſini ſuſciperet. Quæ vtique maxima erat in totius Apuliæ, & Campaniæ partibus Prælatura. Septem enim Epiſcopatus illius Abbati ſubiacent, qui & ipſe Pontificale Officium in omnibus adminiſtrat.* Ita *Cantipratenſis* eo loci. Quibus Septi Pręſulis Caſſinenſis Abbatis exemtionem breui præconio commendat. De quo plurima in Commentationibus meis de Abbatibus. Et ſane quanto a Sacris Canonibus, a creberrima ad vnum omnium ſententia, a receptiſſimo Eccleſię ritu, a religioſiſſimorum virorum ſenſu, vſuque. *Bleſenſis* opinio opere abhorreat, & quam minime probabilis, ac ferenda ſit, planiſſimum ſit præ ceteris recentioribus ab elegantiſſimo *Renato Choppino libro* 1. *Monaſticon. Titu.* 2. *Præcipue num.* 23. Nihil vt addi, aut minui licere videatur. Neque negligenda, quæ *Ioannes Buſæus* e noſtra Societate in Notis in vtrumque *Bleſenſis* locum obſeruauit.

Bleſenſis argumenta diluuntur.

CAPVT TERTIVM.

ANte, quam ſingillatim *Bleſenſis* argumenta diſcutio: ab ea nota, qua ab illo Religionem hominum familiæ locupletioribus auctæ prædijs, reſperguntur, vindicandæ ſunt. Quo vero minus ſuſpectum ſit huius meæ purgationis officium, & obtrectationis materia præcidatur; exteri, ſed non vulgariter diſerti probique patroni, qui neque ob inſcitiam, neque ob nequitiam communem Regularium cauſam prodat, eamque ſolerter agat, opem, atque operam aduocabo, ne fœdo ſordium vitio notentur, qui ſponte Dei cauſa opulentis plerumque ſe patrimonijs abdicarunt. Is eſt *Annæus Robertus libro* 2. *Rerum iudicatarum cap.* 2. Cuius perpauca de multis. *Monaſterium prædia habet, & reditus non ad luxum, & oſtentationem. Sed, vt Religioſis ſolemni Paupertatis voto obligatis ſubueniri queat, qui precibus, & cultui Diuino vacant, atque vt illis poſſint commode alimenta ſubminiſtrari. Lupus Abbas Ferrarienſis Epiſtola* 42. *Rex, inquit, cellam nobis edicto contulerat, cum comperiſſet Monaſticam*

cam Religionem apud nos durare non poſſe, niſi facultatum fulciremur adiumento,Idem Lupus de Monachis ſuis Epiſtola 45. *Propter abſtractas facultates incredibilem veſtimentorum, leguminum, ac piſcium indigentiam patiuntur. Et publica hoſpitalitas peregrinis iuxta conſtitutionem piorum Regum exhibenda intermiſſa eſt.Famuli Monaſterij ſquallore torquentur, nec poſſunt miſeris ſubuenire.*Hæc, & alia *Robertus* plura.

Porro *Bleſenſis* fundamentum, quod eſt Decimas deberi Eccleſiæ de iure Diuino naturali, contra quod Romani Pontificis diſpenſatio vim non habet,quam firmum non ſit infra a me oſtendetur, vbi de conſuetudinis viribus quod ſpectat ad exemtionem a prædialibns Decimis diſſeretur.

Inſiſtendum hic eſt aliquanto magis in illa *Bleſenſis* doctrina,quæ ea clauſula continetur. *Et quæ eſt hæc iniurioſa immunitas,vt exemti ſitis a Decimarum ſolutione, quibus obnoxiæ Terræ erant, ante,quam veſtræ eſſent, vt quæ ſolutæ ſunt hactenus non perſonarum obtentu; ſed territorij ratione? Si in veſtram poſſeſſionem Terræ deuolutæ ſunt: quare in hoc periclitatur alienum ius? Nam ad vos Terræ iuxta communem æquitatem cum ſuo onere tranſierunt.* Sic in ea Clauſula,in qua ſermo eſt vtrocumque titulo ſiue lucratiuo donationis, legati, aut fideicommiſſi, ſiue oneroſo emtionis,aut hæreditatis prædia Religioſis viris Decimarum obligatione obſtricta quæſita ſint. Atque hoc ſenſu *Bleſenſis* doctrinam intelligi non obſcure in extrema Epiſtolæ parte ſignificauit. Vbi hæc ſcripſit. *Vinculo Anathematis innodabimus vniuerſos, qui vobis aliquid dederint, aut vendiderint,vnde ius Decimationis obueniat.* Hæc ille. Quibus nemo non perſpicit quamcumque omnino quæſiti dominij rationem comprehendi. Ad eandem ſententiam videtur accedere *Sanctus Thomas* 2. 2. *Quæſt.*87.*Ar.*4.Quo loco hæc eius ſunt verba.*Clericis autem in quantum ſunt miniſtri Altaris,ſpiritualia populo ſeminantes Decimæ a fidelibus debentur. Vnde tales Clerici, inquantum Clerici ſunt, ideſt, inquantum habent Ecclesiaſticas Poſſeſſiones.Decimas ſoluere non tenentur. Ex alia vero cauſa,ſcilicet propter hoc,quod poſſident pleno iure, vel ex ſucceſſione parentum,vel ex emtione, vel quocumque huiuſmodi modo, ſunt ad Decimas ſoluēdas obligati.*Hæc S.*Tho.*Ornatam & explicatam ſententiā inuenies a *Suarez Tom.*1.*de Religione.Lib.* 1.*Cap.*17. Pro hac item *Bleſensis* doctrina eorum omnium facit opinio, qui cenſent Eccleſiam ad onus reale, perpetuum ac fixum teneri pro bonis, quæ ante, quam ad Eccleſiam transferrentur eius generis obligationi ſubiacebant. Conſtans enim doctrina eſt prædialium Decimarum onus reale eſſe,& inſtar eius tributi exiſtimandum, quod de bonis Laico Principi a ſubditis popularibus perſoluitur.Sunt enim Decimæ Sanctorum Patrum animaduerſione, ac *Bleſenſis* aſſenſione,tributa egentium animarum.*Gloſſa in cap.*1. *de Cenſibus.Federicus Senenſis Quæſt.*81.*num.*4.Qui id probat ex *cap. Tua nobis.*

bis.de Decimis. Vbi Decimæ dicuntur tributa. Zabarella Conſilio 88.nu. 5. Vbi hæc ſcripſit. Præterea cap. 1. de Cenſibus, non probat, quod bona Eccleſiæ tradita pro dote ſint libera ipſo iure. Immo potius contrarium eſt verum. Quia tranſeunt cum onere ſuo. cap. Paſtoralis. de Decimis. Sed probat d. cap. 1. quod quando fundatur Eccleſia Manſus, qui aſſignatur; debet tradi Liber. Ergo ſi non fit hæc liberatio; intelligitur tranſiſſe cum ſuo onere. Et ſecundum hæc vera eſt Gloſſa in d. cap. 1. cum dicit, quod de ipſo debentur Decimæ Eccleſiæ, cui prius debebantur. Hæc Zabarella. Idem Panormitanus, Imola, & alij in cap. 1. de Cenſibus. Et in re propoſita Ioannes Baptiſta Ferrettus vol. 1. Conſilio 102. num. 1. ita reſpondit. Confirmo prædicta ex c. commiſſum. cap. ex parte 1. & cap. nuper. de Decimis. Vbi Religioſi a ſolutione Decimarum fiunt tantum liberi à Decimis Terrarum, quas manibus & Sumtibus proprijs excolunt. Vt a Decimis Hortorum, & animalium, quæ nutriunt. Secus de alijs Terris, quæ datæ ſunt Religioſis, etiam pro dote Monaſterij, quæ coluntur per Colonos proprijs eorum impenſis, prout fit in caſu Quæſtionis. Quia tranſeũt cum onere Decimarum. Gloſſa communiter approbata in c. 1. de cenſibus. in Gloſſa magna. Abbas, & alij poſt Innocentium in cap. nouum genus. de Decimis. Ita Ferrettus. Pro eadem ſententia afferri poteſt Speculatoris doctrina libro 4. Particula Tertia. Titu. de Clericis coniugatis. Vbi hæc eius ſunt verba. Dicunt quidam, quod ſiquid reſtat pro præteritis annis, ſiue in penſionibus ſoluendis, illud ſoluant. Quia res ad illos tranſit cum ſuo onere. Pro futuris vero nihil. Quia ſunt immunes, & vtuntur Priuilegio. l. Filius ff. de Iure Fiſci. Alij dicunt, quod ſi poſſeſſio illa erat ſcripta dare pro ſolido, & libra ad Collectas: quia quandoque patrimoniorum munera poſſeſſionibus inducuntur. l. Reſcripta. in fine. & l. Munerum. §. Patrimoniorum. ff. de muneribus, & honoribus. tunc res ipſa onerata eſt, & cum onere ſuo tranſit. Vnde Clericus, ad quem peruenit; pro ea tenetur ſoluere. l. Alienatio. ff. de Actionibus emti. l. Traditio. ff. de Acquirendo rerum dominio. c. Cum non ſit. de Decimis. Vbi Romanus Pontifex Celeſtinus Tertius in Concilio Generali ita conſtituit. Cum autem in ſignum vniuerſalis dominij, quaſi quodam titulo ſpeciali ſibi Dominus Decimas reſeruauerit: Nos, & Eccleſiarum diſpendijs, & animarum periculis obuiare volentes, ſtatuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis exactionem Tributorum, & Cenſuum præcedat ſolutio Decimarum. Vel ſaltem ij, ad quos Cenſus, & Tributa indecimata peruenerint, quoniam res cum onere ſuo tranſit; ea per cenſuram Eccleſiaſticã decimare cogantur Eccleſijs, quibus de iure debentur. Sic ibi Pontifex. Et probatur hoc in præcedenti §. Hinc datur. Et Can. Tributũ. & Can. Conuenior. Alias non tenetur Clericus. quia mutata perſona, mutatur & ſtatus rei. Colligitur ex l. vnic. de imponen. lucr. deſcrip. De nouo tamen non poteſt ad hoc adſcribi. Sed certe cum deſcriptio, ſeu æſtimatio, quæ fit pro ſolido, & libra, non ſit perpetua, & certa; immo varietur pro varietate imminentium negotiorum: non videtur

detur

detur huiuſmodi onus durare poſt, quam res peruenit ad priuilegiatam perſonam. Si autem res illa certum, & perpetuum Cenſum, vel Tributum debet: illud cum poſſeſsione tranſit, & ſoluendum eſt. Hactenus *Speculator*. Quod concludit de Decimæ debitione, recipitur a permultis. In his ſunt *Ioannes Baptiſta Caccialupus Tract. de Decimis. Quæſt.* 17. *Vdalricus Zaſius vol.* 2. *Conſilio* 11. *num.* 12. *Rodericus Suarez Allegatione* 28. *num.* 5. *Ioannes Guttierrez libro* 1. *Canonicarum Quæſt. Cap.* 1. *nu.* 111. *Ioannes Baptiſta Valenzuela vol.* 1. *Conſilio* 33. *ex num.* 36. & ita Regij Neapolitani Conſilij ſententia iudicatum, teſtes ſunt *Capycius Deciſione* 20. *nu.* 25. & *Franchis Deciſione* 107. *num.* 11. De ceteris Tributis maxime communis eſt ſententia, Quam ex noſtris approbant *Molina Tomo* 3. *de Iuſtitia Diſp.* 612. *num.* 3. *Suarez Tomo* 5. *Diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 99. Quamuis in hac re ſententiam mutauerit *Libro* 4. *Defenſionis Catholicæ Fidei. Cap.* 20. *num.* 12. *Azorius Tomo* 3. *libro* 5. *Cap.* 19. *Quæſt.* 8. *Leſſius libro* 2. *de Iuſtitia. Cap.* 33. *Dubitatione* 3. *Salas Tract. de Legibus Diſp.* 14. *Sect.* 11. Et ita Regiæ Cameræ Neapolitanæ ſententia iudicatum ferunt *Franciſcus Viuius in Additionibus ad Vol.* 1. *Deciſion.* 88. *num.* 10. & doctiſſimus *D. Regens Corleti Marchio Fuluius Conſtantius in Commentarijs in Tres poſteriores libros Codicis a l l. Siquis Decurio. de Decurionibus. Libro* 10. *nu.* 14. *Achilles Deciſione* 306. *alias.* 1. *de Decimis.* Vt a me non ita pridem demonſtratum eſt Reſponſo teſtimonijs, ac doctrinis refertiſſimo, cuius Neapoli exempla per litteratorum virorum manus circumferuntur, pro noſtro Collegio Theatino.

Ad hoc ego argumentum primum reſpondeo illud in hoc litigio, de quo agitur, mirifice fauere noſtræ ſententiæ. Propterea, quod mille teſtimonijs doceri licet de Ordonenſi prædio ex immemorabili ante, quam Collegij noſtri Romani ære coemeretur, Decimas prædiarias prorſus nullas Aſculanæ Eccleſiæ ſolutas eſſe. Deinde pro me reſpondet *autor Compendij Priuilegiorum Patrum Ciſtercienſium. Tit. Decima.* non ſine laude commemoratus a *Roderico Tomo* 2. *Quæſt. Regul. Quæſt.* 44. *Art.* 4. *prope finem.* Hunc in modum. *Alij dicunt. & ſi Priuilegium Gregorij Decimi Tertij Societati conceſſum clare loquatur, & expreſſè deroget cap. nuper, de Decimis: illud tamen non procedere in omnibus generaliter, vbi damnoſum nimis eſſet. cap. Suggeſtum. de Decimis. Præſertim in Fundis, & Terris titulo emtionis acquiſitis, etiam ſi proprijs manibus excolantur. Vnde merito exclamare licet. Reſpice Domine de Cælo.* Sic ille. Tertio vtcumque ſe res hæc habeat, ſpectato iure communi, ratione tamen habita Pontificiorum Priuilegiorum, longe ſecus eſſe. Appoſitiſſime ad rem *Ferrettus Conſilio* 102. *proxime ſupra citato. nu.* 9. Audiantur quæſo verba; neque enim eorum immutandus eſt apex. *Quincto Decimæ illarum Terrarum debentur Religioni Camaldulenſi ex Priuilegio Alexandri Papæ Quarti, anno* 1248. *per hæc verba. Decimas quoque omnium Terrarum, & Poſſeſſionum*

ſionum veſtrarum, quas nunc habetis, vel eſtis in poſterum habituri, vobis miſericorditer duximus concedendas, diſtrictius inhibentes, ne quis a vobis de Terris, & Poſſeſſionibus prædictis exigere, vel extorquere præſumat. Idem cauetur Priuilegio exemtionis Leonis Decimi. Anno 1513. *his verbis. Nec ad dandam, ſeu ſoluendam aliquam Canonicam Portionem, ſiue Decimam, aut quidquid aliud, quod eorum loco ſolui conſueuerit Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis, Parochianis, Collegijs.* Et infra. *De iure, aut de conſuetudine, Statutis, vel Priuilegijs quibuſcumque, vel ex quacumque cauſa hactenus forſan eis debita, ſeu quæ deberi prætenderet quomodolibet in futurum, etiam de relictis, Legatis, & donatis, tam in vltimis voluntatibus, quam inter viuos.* Et infra. *Ipſaque Monaſteria, Prioratus, Loca, Poſſeſſiones, & Bona, Prælati, Monachi, & Perſonæ ab omni impoſitione, Collecta, Decima, Subſidio, aut alio quocumque reali, vel perſonali, vel miſto onere per Nos, aut ſucceſſores noſtros pro tempore indictis.* Et infra. *Nulluſque ab eiſdem de quibuſcumque Poſſeſſionibus, quæ in præſenti ſunt, vel erunt in futurum Monaſteriorum, Prioratuum, vel Domorum dictæ Congregationis, quod illius Prælati, Monachi, vel Perſonæ colunt, ſeu coli facient, & in futurum colent, ſeu coli facient, Primitias, Decimas, Quarteſia, aut quocumque nomine nuncupata alia iura exigere, vel extorquere præſumat. Nec ipſi illa cuipiam ſoluere ſint adſtricti. Ex quibus apparet de pleniſſima exemtione a ſolutione Decimarum, vel Quarteſij, vel alio onere quocumq. nomine. Et licet ius Decimandi in totum a Papa tolli non poſſit: quibuſdam tamen perſonis, & locis concedi poteſt, & per eum etiam aliquibus tolli. Gloſſa notabilis in cap. à nobis. In Ver. Exemtis. de Decimis. Et eſt communis opinio. Et ſicut Papa potuit huiuſmodi exemtionem concedere. cap. Si Terra. cap. Accedentibus, & cap. Dudum. de Priuilegijs. ita etiam voluit, vt conſtat ex dictis, maxime Leo Decimus, qui vſus eſt Clauſula. De certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis. Et per dicta Priuilegia præiudicatur Ordinario, & ſic Epiſcopo, Parochiali, Presbytero, & cuicumque alteri, cui debentur Decimæ de iure communi, vel ex Priuilegio, etiamſi talis fuiſſet tunc in poſſeſſione, vel quaſi exigendi Decimas, vel Quarteſia, etiam nulla facta mentione de iure, vel poſſeſſione prædictis. Gloſſa in cap. cum olim. 1. de Priuilegijs. Quia ex natura exemtionis ſatis hoc intelligitur. Ioannes Andreas, Butrius, Cardinalis, & Abbas in cap. Dudum. de Priuilegijs. Soccinus vol. 2. Conſilio* 297. *Decius Conſilio* 113. *vol.* 1. *Cumanus Conſilio* 110. *Et quamuis res, de qua prædicti reſponderunt, ſit dubia: noſtra tamen propter Priuilegium Leonis Decimi ſatis eſt clara.* Hæc *Ferretti* ſunt omnia. Idem in Apoſtolico Palatio Veneto aduerſus Parochum pro eiſdem Patribus Carthuſianis iudicatum fidem facit *Thomas Triuiſanus libro* 1. *Deciſione* 15. *ex num.* 10. Et re omni in vtramque partem perſpecta, controuerſiam ita dirimit, vt qui Deciſionem illam perlegerit; de aliorum ſcriptorum ſententijs accuratius exquirendis, quod ad

rem

rem hanc ſpectat, non multum ſollicitus futurus ſit. Mirandum eſt eum minime *Ferretti* meminiſſe; cum eadem plane cauſa ab antiquiore patrono exagitata ſit, atque a recentiore iudice diſceptata.

Cæleſtinus Quinctus Romanus Pontifex ob rariſſimam vitæ innocentiam in Sanctorum numerum cooptatus, qui Dei Eccleſiæ centum circiter poſt *Bleſenſis* ætatem annis, præſedit, Religionis ſuæ Patribus ampliſſimum Priuilegium elargitus, hanc in eo clauſulam inſeruit. *Sane de fructibus Terrarum, & Poſſeſſionum veſtrarum, ac etiam Noualium, quæ proprijs manibus, & ſumtibus colitis, vel per homines veſtros, aut alios excoli facitis in proprijs prædijs, ſeu etiam alienis, ſiue de hortis, & piſcationibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis Decimas exigere, vel extorquere præſumat. a quarum præſtatione vos totaliter liberamus.* Hæc ille Pontifex. Qui nec præterita, nec futura eorum Regularium prædia excepit. Et licet nuperrime a Sanctiſſimo D.N. Pontifice *Vrbano Octauo* Religionis Cœleſtinorum Patrum Priuilegia omnia, & ſingula confirmata, & de nouo conceſſa ſint, adiecta clauſula. *Quatenus Decretis Concilij Tridentini non aduerſantur*: hoc tamen Priuilegium Decreto *Concilij Seſsione* 25. *cap.* 12. minime repugnare ſingulariter a *Triuiſano libro* 1, *Deciſione* 15. *ex num.* 14. demonſtratur. Nec deſunt, qui eius clauſulæ moderationem alio ſenſu accipiendam autumant, hoc eſt, vt de Decretis dumtaxat, quæ continentur *Seſsione* 25. *de Reformatione Regularium* intelligatur. De qua interpretatione, cum ad rem nobis propoſitam ea non faciat, agi hic minime oportet. Omittuntur hic alia Religioſorum Priuilegia. Infinitum propemodum eſſet opus, ea a me percenſeri. Vno hoc contentus fui, propterea quod ab eo Pontifice conceſſum eſt, qui in Sanctorum cœtum relatus *Bleſenſis*, cuius ob ſanctitatis famam, præiudicata videri potuiſſet autoritas; facile oppugnationem eludit. Quid autem vni *Bleſenſi* de his Romanorum Pontificum conceſſionibus ſentire in mentem venerit, viderint æqui rerum æſtimatores. Equidem, quid Chriſti Vicarius, Dei interpres, veritatis magiſter, dominantium arbiter, iudicum moderator, adhibita in conſilium ratione ſtatuerit, non boni conſulere; ſi nimiæ licentiæ non eſt, in viro ceteroqui laudatiſſimæ vitæ ſpectatiſſimæque probitatis; cuius præterea humanæ fragilitatis ſit, quia non intelligo, verecunda taciturnitate prætereo. Monodoxiæ virus nullo præſentiore, niſi me fallit animus, aut ſalubriore pharmaco, quam Tertulliani Scorpiaco repurgatur.

Priuata difficultas de conductis Religioſorum prædijs explanatur.

CAPVT QVARTVM.

NOn pauci ſunt agri in Apuliæ planitie, quorum ius penes Regem eſt ex tempore potiſſimum, quo *Marcellus Pignonus* Magiſtratus eximius Regiæ Neapolitanæ Cameræ Regis ipſius Patrimonio adminiſtrando præſidebat, hoc eſt patrum noſtrorum memoria centum circiter, eoque amplius ante annis, quos aruorum domini ſingulis quibuſque triennijs a Regia Curia conducere conſueuerunt. Siue ſint agri omnino Virgines, vt ruſtici eos vocant. hoc eſt nondum aratro proſciſſi, aut ita pridem, vt nulla penitus, aut vix vlla rei huius exſtet hominum recordatio. Siue poſt annorum aliquot viciſſitudinem exculti ſint, qui regionis eius vſitato vocabulo Annicularij nuncupantur. Vulgo. *Terre annicchiariche*. Latine. Nouales, ſeu Noualia. Siue denique quos abſolute appellant Agros ſolidos. *Terre ſode, ouero ſalde*. Qui quidem agri locari a Regiæ Curiæ Miniſtris ſoliti ſunt ad Triennium. Vno anno ad herbarum vſum; duobus reliquis ad culturam. Contractum hunc, qui priuata rura obtinent, inire coguntur, quia cum in ea ora longe lateque pateant immenſitates camporum, proinde plurimos habeant boues aratorios; non ſuppeterent eiſdem tanta paſcua, quanta tam multis bobus alendis ſatis eſſent. Alij aliter rei huius narrant hiſtoriam, & agrorum dominos ſolidorum quoque veros dominos autumant, quorum neſciunt, qua ratione ſiue dominium quodammodo vtile, ſiue vſusfructus, ſiue adminiſtratio ad Regem migrauerit. Sed neque id huius eſt loci, nec noſtrum eſt curioſius inquirere negotia Dynaſtarum.

His ita conſtitutis, an Patres Societatis ſoluere teneantur Eccleſiæ Aſculanæ Decimas prædiales ſaltem pro Terris ſolidis, quas a Regia Curia conduxerunt ratione Feudi Ordonenſis intra fines Territorij Aſculani. Vna dubitandi ratio in partem affirmantem eſt; quia in conductione horum agrorum ceſſare Priuilegia Societatis videntur. Agrorum enim conductio negotiatio Clericis, præſertim Regularibus interdicta a multis ducitur. E quibus ſunt *Gulielmus Redoanus Tract. de Spolijs Eccleſiaſticorum. Quæſt. 2. ex nu. 44.* Qui nititur in primis autoritate *Innocentij in cap. Magnus. in fine. de obligatis ad ratiocinia.* Eandem ſententiam comprobat Edicto *Cardinalis Sabelli Vicarij Summi Põtificis* promulgato *Die 30. Octobris* 1566. Quo hęc verba continebantur. *Clerici mercaturam non exerceant, Prædia ne conducant.* Probat autem *Redoanus* ſtatutum illud non ad Vrbis tantum Clericos, ſed ad alios quoſcumq. pertinere

nere. Prçterea *Panormitanus, & alij in c. 1. & c. cum ſecundum. Ne Clerici, vel Monachi* agrorum conductionem negotiationem Clericis iure interdictam opinantur. Item *Diaz in ſua Pract. Canonica. Cap. 55. nu. 1.* Et in eundem locum *Salzedus in Additionibus littera B.* Innumeros congerit, & ſequitur *Farinacius in ſuis Fragmentis Criminalibus Parte 1. Cap.* quod inſcriptum eſt. *Clericus negotiator*. & *Camillus Borrellus Tract. de Præſtantia Regis Catholici. Cap. 71. Verſic. Trigeſimus Caſus* memoriæ prodidit Clericum *Ioannem Antonium Genſanum* a Nuncio Neapolitano *Iacobo Aldobrandino* non leuiter multatum, quod ingentia Laicorum Prædia conduxiſſet. Pro hac ſententia multa *Molina Tomo 2. de Iuſtitia. Diſput. 339. & 342. Auguſtinus Barboſa Tract. de Epiſcopo Tomo 2. Allegat. 12.* & apud eum alij.

Ad hanc ego dubitandi rationem non magno negotio reſpondeo ex eorum doctrina, qui concedunt fieri hoc licere ex cauſa neceſſaria. Cum autem *S. Raymundus libro 2. Titu. de Negotijs ſecularibus* §. 2. *Verſic. Quartus Caſus*, ſcripſiſſet. *ſi Clericus indigeat. Tunc enim poteſt recipere Poſſeſſiones excolendas ad Firmam, ſiue conducere agrum. Can. Peruenit. §. Auaritiæ cauſa. 86. Diſt. Can. 2. §. Agricultura. Diſt. 91. Ioannes Friburgus in eum locum. in Ver. Emere.* hæc addit. *Si etiam habeant multa paſcua, vel emant multa pecora, vt paſcantur ibi. Et hoc faciant ad neceſſariam ſuſtentationem ſuam, & ſuorum, & alimentum pauperum; non credo quod peccent. Si autem huiuſmodi pecora emant ad hoc, vt tradant ad crementum, vel vt agant aliquid in fraudem negotiationis, illicitum eſt.* Ita *Friburgus* multo apertius, quam in Summa. Vbi *libro 2. Titu. 8. Quæſt. 2.* non niſi hæc pauca tradiderat. *Si Clericus indigeat; poteſt recipere Poſſeſſiones ad Firmam, ſcilicet ad Quartam, vel Quinctam Partem, ſecundum Gloſſam*. Hæc ille. Eadem plane verba *Sancti Raymundi, & Friburgi* repetit *Sanctus Antoninus Parte 3. Tit. 13. Cap. 2. § 3. Initio.* Item *Roſellæ autor. Ver. Negotiatio nu. 7. & Silueſter V. Clericus 3. Quæſt. 2.* Alij ſimpliciter conditionem neceſſitatis poſtulant, nec aliud declarant. Ita *Redoanus Tract. de Spolijs. Quæſt. 2. ex nu. 13. Molina Tomo 2. de Iuſtitia Diſp. 342.* in fine. *Leſſius libro 2. de Iuſtitia. Cap. 21. Dubitatione 1. num. 6. Salon Tomo 2. de Iuſtitia in Quæſt. 77. Art. 4. Controuerſia 4. num. 2. Salas Tract. de Contractibus. Cap. de Emtione, & Venditione. Dubio 2. in fine. Laſſarte Tract. de Gabellis Cap. 19. num. 78. Guttierez eodem Tract. de Gabellis libro 7. Quæſt. 93. nu. 75. Aloyſius Riccius Tomo 1. Praxis. Deciſione 375. num. Vltimo.* & alij complures apud *Farinacium* loco citato. *Genuenſis in Praxi cap. 77. num. 12.* At vero cauſa neceſſitatis, qua coguntur Patres Societatis conducere Prædia hæc ſolida, ad ſuſtentationem celeberrimi Collegij Romani Religionis vniuerſæ Seminarij, diuerſa ab illa non eſt, qua adducti Prædia ſibi ingenti ſumtu in Apuliæ Prouincia compararunt. Accedit ad cumulum neceſſitas, ſupra expoſita alendorum

boum aratoriorum,& ouium ad agros oblimandos,ac ſtercorandos. Ad tradita *in c. Dilecti de Decimis.*

Altera dubitandi ratio in eamdem partem negantem ex eorum doctrina ducitur, qui negant Regularium Priuilegia exemtionis a Decimarum ſolutione, ſi conducant agros. In his nuncupatim *Suarez Tomo 1. de Religione Cap.19.* Probat ex *d. cap. Dilecti.* & ex verbis Priuilegiorum, quæ loquuntur de Religionum agris,qui ſui ſunt. Mercede vero præſtituta conducti minus proprie dicuntur ſui. Quippe,quod ſpectat ad dominium, alieni ſunt, nec Religioſi in ijs habent, niſi merum vſum ad certum tempus. Ad hanc rationem primum reſpondeo in nonnullis Regularium Priuilegijs expreſſis verbis mentionem fieri de agris conductis. Teſtis eſt *Rodericus Tomo 1. Quæſt. Regular. Quæſt.* 44. *Art.* 4. Quo etiam ſpectat Priuilegium *a Cæleſtino Quincto* Religioſis Ordinis ſui tributum. Cuius clauſula proximo ſupra Capite allata eſt,ijs verbis. *In proprijs prædijs,ſiue etiã alienis.* Subaudi titulo emphyteuſis,aut Conductionis aut alterius conſimilis contractus, veſtrum in vſum,& quæſtum translatis. Deinde reſpondeo. Societatem in hoc contractu Conductionis cauſam habere a Regia Curia,quæ pro his Terris ſolidis liberam ſe eſſe contendit onere Decimarum. Affert pro ſe potiſſime immemorabilem conſuetudinem, de qua a me infra. Pendet adhuc lis in Regia Camera.

Priuilegium a Neapolitani Regni Regibus de Ordonenſis agri, & aliorum Decimis Aſculanæ Eccleſiæ tributum expenditur.

CAPVT QVINCTVM.

Conceſsionis huius Priuilegium, quod Aſculana Eccleſia iuris ſui longe firmiſſimum fundamentum paſsim obtrudit, hoc a me loco deſiderari non committam. Integrum igitur ex Regiſtro *Caroli Secundi* in Archiuio Regiæ Siclæ Neapolitanæ aſſeruato depromtum eſt.

Per Venerabilem in Chriſto Patrem Eſculanum Epiſcopum deuotum noſtrum fuerunt culmini noſtro præſentatæ quædam litteræ claræ memoriæ Regis Incelyti Domini Patris noſtri ſuo magno ſigillo munitæ continentiæ ſubſequentis

tis.Carolus Deigratia Rex Ieruſalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Princeps Achaiæ, Andegauenſis Prouinciæ, & Folqualquerij, & Tornedoræ Comes.Vniuerſis has litteras inſpecturis gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Supplicauit humiliter noſtræ Celſitudini Venerabilis Pater Benedictus Eſculanus Epiſcopus deuotus noſter, vt quoddam Priuilegium conceſſum Eſculanæ Eccleſiæ a Federico olim Imperatore Romanorum, dum adhuc eſſet in gratia Romanæ Sacroſanctæ Eccleſiæ, renouare, & confirmare ſibi de noſtra gratia dignaremur. Nos ergo pijs eius precibus inclinati duximus illud confirmandum. Eius tenor talis eſt.

Federicus. Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Ieruſalem, & Siciliæ Rex. Per præſens ſcriptum notum facimus Vniuerſis Fidelibus noſtris præſentibus, & futuris, quod veniens coram nobis Petrus Venerabilis Epiſcopus Eſculanus fidelis, & familiaris noſter, Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit; quatenus Decimas Camporum noſtrorum Eſculi, & Candelæ, ac Decimam Baiulationis earumdem Terrarum, vt tempore Regis Gulielmi Secundi conſobrini noſtri felicis memoriæ, prædeceſſoribus ſuis dari conſueuerunt, ſibi, & Eccleſiæ ſuæ mandaremus miſericorditer exhiberi, tam pro anno ipſo præſenti, quam etiam temporibus ceteris in futurum. Ac ex ſolita clementia inde ſibi Priuilegium edere dignaremur. Petens nihilominus inſeri in eodem quædam alia iura ſuæ Eccleſiæ conceſſa, & confirmata alias ex Priuilegijs dicti Regis. Verũ cũ nos primo ſuper præmiſſis Decimis per Epiſcopum Ioannem de Monte fidelem noſtrum præceperimus diligenter inquiri, ſi prædictæ Decimæ tam Camporum, quam Baiulationum prædicto Epiſcopo, & prædeceſſoribus ſuis ſoluerentur tempore ſupradicto; nobis plene conſtitit ex ipſius inquiſitionis tenore, quod prædictæ Decimæ tam Camporum, quam Baiulationum Eſculanis Epiſcopis ſoluebantur. Nos vero pijs eius precibus annuentes, Decimas, tam de prædictis Campis, qui ſunt Eſculi, & Candelæ, quam de Baiulationibus earumdem Terrarum ex nunc in antea, remota omni obiectione, vel occaſione integre ad ipſius Epiſcopi requiſitionem, vel Nuncij eius, ſeu ſucceſſorum pro parte Eccleſiæ Eſculanæ ſine mora qualibet præcipimus exhiberi. Nec volumus in vlterius aliam probationem ab eo, vel ſucceſſore ſuo, ſeu inquiſitionem fieri, aut mandatum aliud exſpectari. Ex quo nobis plene conſtat, quod tempore Diuæ Auguſtæ matris noſtræ Imperatricis Conſtantiæ ab inde vſque nunc in pacifica poſſeſſione fuerunt perceptionis ipſarum, dum tantummodo quodcumque Priuilegium noſtrum, vel progenitorum noſtrorum oſtenderint. Illud idem de Decimis Baronum, & Militum, vel quorumcumque in prædictis Terris, vel Territorijs laborantium ad petitionem vel conqueſtionem ipſius, vel ſucceſſorum præcipimus firmiter obſeruari, pœna Dupli, ſcilicet dum Simplum de ſuo ſoluat, impoſita tam Officialibus, quam Baronibus, & alijs ſupradictis, ſi Decimas ipſas ſubtrahant, vel negauerint. Et ſi propter hoc ad Superiorem recurſum habuerint ipſe, vel Nuncius eius pro parte Eſculanæ Eccleſiæ, & iu-

*ſtitiam negauerint, aut detrectauerint: puniantur, tamquam in Officio de-
linquentes in cauſis alijs fidelium priuatorum. Preterea quædam alia ipſius
Eccleſiæ iura conceſſa, & confirmata ex eiuſdem Regis Priuilegijs de gra-
tia ſpeciali in huius noſtri Priuilegij ſerie ſummarie duximus inſerenda.
Volumus igitur, & mandamus, vt ſuper temporali iuriſdictione quam Ec-
cleſia Eſculana obtinet ſuper Iudaica, vt nobis conſtitit, ex conceſſione præ-
dicti Regis; & in Clericos, & Iudæos Eſculi, & Candelæ ſuper reditibus
Plateatici vulgariter appellatis, qui peruenerunt ex venditione eorum, quæ
venduntur a Clericis, vndecumque habeant, & a Iudæis, vndecumque ſint,
nullus prædictam Eccleſiam aliquo modo moleſtare præſumat. Amplius iu-
bemus, vt ſuper adulterio, & alijs criminibus ad ius Eccleſiaſticum perti-
nentibus ad corrigenda, & coercenda teneantur Magiſtri Iurati, & Baiuli
dare auxilium. & fauorem requiſiti pro viribus per totam Diœceſim Eſcu-
lanam. Poſtremo prohibemus diſtincte, nequis prædicto Epiſcopo, vel eius
ſucceſſori prædictæ Eccleſiæ nomine poſſidenti moleſtiam inferat vllo modo
contra noſtræ huiuſmodi conceſſionis & confirmationis tenorem ſuper ali-
quo præmiſſorum, vel etiam ſubſcriptorum. Videlicet Territorio ſito in
pertinentijs Eſculi iuxta Caſale Corneti per Priuilegium ſupradicti Regis
diſtincto ſuis finibus, & confirmato olim Gaufredo Epiſcopo Eſculano. Quod
quidem Territorium Eccleſia Eſculana ibidem habuit, & poſſidet ab antiquo
tempore, cuius non exſtat memoria. Illud de domo præcipimus, quam ha-
bet, & poſſidet in platea Corneti, ante quam domum liceat habere, & tenere
Plancam portatilem ad vendendum mercimonia, & tenere feneſtram
apertam: ſicus nobis conſtat fuiſſe olim ſententialiter definitum. Vlla eidem
Eccleſia detentione, interruptione, præſcriptione diutina, vel cuiuſcumque
temporis, ſi qua interuenerit. Non obſtante Priuilegio aliquo cuiuſcumque
prædeceſſoris noſtri donationem alicui factam continente. Quod contra
prædictam Eccleſiam Eſculanam volumus non valere, ſed caſſum & inu-
tile perpetuo habeatur quidquid præſumptum fuerit contra aliquod præmiſ-
ſorum. Similiter de Vinea, & de quibuſcumque bonis ſtabilibus ſitis in
Territorio antedicto: Quod qui moleſtare præſumerit: indignationem noſtræ
Celſitudinis ſe nouerit incurſurum, & pœnam ducentarum Vnciarum auri,
medietatem eius nobis, noſtroque cuilibet ſucceſſori, alteram medietatem
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſi Clericus fuerit, inferens exſoluendam. Et, ſi
laicus fuerit; prædictæ Eccleſiæ, vel eius Epiſcopo ipſius nomine exſolua-
tur. Quam quicumque Præſul fuerit, autoritate propria, pro tempore ſine
requiſitione noſtra; vel alicuius, cui de prædictis cognitio pertineret, capere
poſſit, & ad eius arbitrium retinere, & facere velle ſuum ſine appellatione,
defenſa, exceptione, ſeu ſupplicatione a quocumque oppoſita non obſtante.
Ad huius autem rei memoriam, & Eſculanæ Eccleſiæ in futurum perpetuam
firmitatem præſens ſcriptum fieri, & ſigillo noſtræ maieſtatis iuſſimus com-
muniri. Datum Præcinæ. Anno Dominicæ Incarnationis. 1226. Menſe De-
cembri. 15. Indictionis.*

Nos

Nos itaque diſtrictius inhibemus, ne quis prædictam Eccleſiam Eſculanam ſuper aliquod præmiſſorum contra huius noſtræ renouationis & confirmationis tenorem moleſtare quoquomodo præſumat. Ad huius autem rei memoriam & perpetuam firmitatem præſens ſcriptum fieri, & Celſitudinis noſtræ ſigillo præcipimus roborari. Datum Neapoli. Anno Domini 1280. Die 10. Februarij. 8. Indictionis. Regnorum noſtrorum Ieruſalem Anno 4. Siciliæ vero 15.

Nos autem ſupplicationibus prædicti Epiſcopi clementer admiſſis, præſcriptas litteras, & quæ in eis continentur, benignius confirmantes, tenore præſentium vniuerſis Officialibus noſtris iniungimus, vt de omnibus, & ſingulis in forma dicti Priuilegij declaratis, de ijs ſcilicet, quæ in manibus Curiæ noſtræ conſiſtunt, Decimas, & alia iura præmiſſa per illos Officiales, in quorum procuratione fuerint prædictæ Eſculanę Eccleſię, ſeu eius Epiſcopis anno quolibet cum integritate perſoluant, prout eſt debitum, & hactenus conſuetum, & hucuſque ſeruatum; nullo alio mandato noſtri culminis expectato. Idem ſimili modo præcipimus quibuſcumque Baronibus, Feudatarijs, & Perſonis alijs poſſidentibus quæcumque de bonis, & iuribus ſupradictis, qui poſſeſſionis eorum a noſtra Curia cauſam habent. Datum Neapoli, &c. Hæc in eo Diplomate.

Nullum igitur in hoc Priuilegio verbum apparet, quo ſignificetur Decimas, Aſculanæ Eccleſiæ debitas de prædijs, quæ ſunt intra Territorium Aſculanum, eſſe eiuſmodi, quæ Sedis Apoſtolicæ benignitate Laicis Principibus, ſiue in Feudum pro Catholicæ Fidei defenſione, aut pro fidelium populorum cuſtodia a Chriſtianæ Religionis hoſtibus; ſiue remunerationis titulo pro Eccleſiarum exſtructione, fundatione, dotatione conceduntur. De quibus ſic *Sanctus Raymundus libro 1. Tit. de Decimis. §. 8.* ſcriptum reliquit. *Quid de militibus Cataloniæ, qui nituntur ſe defendere Priuilegio Apoſtolicæ ſedis indulto, vt dicunt quidam Comiti Barchinonenſi in fauorem Chriſtianitatis, & Fidei Catholicæ, vt ſcilicet Decimas omnium locorum, quæ Paganis expulſis, reducentur ad cultum Dei, poſſet licite retinere, & inter Principes, & Milites Terræ ſuę, qui ipſum iuuarent ad hoc, diuidere; numquid poſſunt tales Decimas licite tenere?* Infra. *Ad Primum dico ſaluo meliore iudicio, quod ſi Priuilegium fuit conceſſum in perpetuum ſibi, & ſuis ſucceſſoribus ita, quod fuit reale, & non perſonale, & propter hanc tam fauorabilem cauſam, & a Sede Apoſtolica, poſſunt licite tenere vel ad tempus, vel in perpetuum iuxta formam in Priuilegio expreſſam. Can. Adrianus, & Can. in Synodo. Diſt. 64.* Hæc S. Raymundus. Vbi quinque exceptionibus adiectis doctrinam hanc temperat, quas hic longum eſſet recenſere. Idem eum in locum *Friburgus in Ver. Indulto. Piſanus Ver. Decima. Quincto. Couarruuias Practicarum Quæſtionum. Cap. 35. Petrus Belluga in Speculo Principum Rubrica 13. de Decimis. §. Reſtat, & §. Tractemus. Gulielmus de Benedictis, Gregorius Lopez, Ioannes Rupellanus, Bartholo-*

tholomæus Caſtanæus,& alij, quos enumeratos ſequuntur *Rodericus Suarez Allegatione* 28.Qui omnium de re hac affluentiſſime, & *Rota Romana apud Seraphinum*,& apud *Ceuallum*, de qua ſupra ſuo loco. *Fernandus Vaſquius libro* 2. *Controuerſiarum.Cap* 89.*num.* 2. *Verſic. Denique pro hac parte eſt vniuerſę Hiſpaniæ conſuetudo. Ioannes Guttierrez libro* 1. *Quæſtionum Practicarum Quęst.* 14. *Petrus Enriquez Conſilio* 89. Initio.*Henricus Henriquez libro* 7.*Qui eſt de Indulgentijs.Cap.*27.*num.*2. Qui in notis quamplurimos memorat. *Emmanuel Rodericus Tomo* 2. *Quęst.Regular.Quęſt.*44. *Art.* 3. *Ioannes Azorius Tomo* 1.*Cap.*25.*Quęſt.* 3.*Suarez Tomo* 1.*de Religione libro* 1.*Cap.*15.*num.*3. *Ioannes Petrus Moneta Tract.de Decimis.Cap.*5.*Quęſt.*3.*ex nu.*83.*Garzias Gironda Tract. de Priuilegijs Quęſt.*50.*ex nu.*251.

Priuilegij vis in eo poſita eſt, vt nec impediretur ſolutio Decimarum, quæ ex Regijs,& Baronalibus prædijs de iure,& vetuſta conſuetudine, Aſculanæ Eccleſiæ intra Aſculanum ipſum Territorium debebantur, & manu quoque Regia iuuaretur.Nec ſecus eamdem Eccleſiam Regiorum miniſtrorum officio fouendam cautum eſt,vt temporali iuriſdictione vteretur,quam habebat in Clericos,& Iudæos Aſculi, & Candelæ ratione bonorum,quæ ab eiſdem venderentur. Et vero ſingulare habendum non eſt, vt quod Eccleſia iure ſuo obtinet; id eidem Regio Priuilegio concedatur. Ac ne longius a Neapolitano Regno abeatur *Federicus* Imperator cognomento *Barbaroſſa* ob inſigne beneficium, quod a Deo per Glorioſiſſimæ Virginis preces impetrarat, Anglonenſi Eccleſiæ Priuilegium attribuit,quo illa cum primis clauſula continetur. *Concedimus autem prędictę Eccleſię Anglonenſi homines,quos habet in Caſtris Turſij,& Sancti Archangeli, & omnia quę in pręſentiarum iuſte, & rationabiliter poſſidet,vel quę in poſterum iuſto titulo poterit adipiſci. Inſuper eximimus ipſam Eccleſiam,& Pręlatos eius,& Clericos eiuſdem Caſalis, & Diœceſis, homines,& Vaſſallos ipſius ab omnibus Seruitijs,Tallijs, Collectis, & Exactionibus Curię noſtrę, & ſucceſſorum noſtrorum, Iuſtitiariorum, Caſtellanorum,& omnium Officialium noſtrorum. Cum iure Baronum. Et nihil nobis, vel ſucceſſoribus noſtris in prędictis eius hominibus & Vaſſallis penitus reſeruamus*. Hæc in ea clauſula. Quid facit exemtio a Tributis, quæ Laico Principi ſoluenda ſunt, & ab oneribus omnibus etiam ſi perſonalia ſint, aut miſta, quod ſpectat ad bona quocumque titulo Eccleſiæ quæſita? Adde, quod Ordonenſe Feudum, quo Societas ad præſens potitur,non illud eſt,neque in ijs comprehenditur,de quibus in Priuilegio ſupra allato ſermo eſt. Et quod caput eſt ſi quando viguit Priuilegium,diuturna annorum progreſſione,nullis penitus Decimis petitis,ac ſolutis,vti proxime demonſtrabitur,antiquatum eſt.

Eorum

Eorum opinio, qui prædialium Decimarum obligationem conſuetudine, quamuis antiqua, tolli negant.

CAPVT SEXTVM.

EX his aliquot opinionem hanc abſolute approbant; nonnulli vero negant conſuetudine Decimæ ſimpliciter debitionem tolli; eiuſdem Quotam partem affirmant.

Canoniſtæ.

Ioannes Andreas.
Innocentius.
Hoſtienſis.
Butrius.
Panormitanus, & alij.
} *in c. In aliquibus. de Decimis.*

Turrecremata in Cap. Reuertimini. 16. Quæſt. 1.
Zabarella Conſilio 146. num. Vltimo.
Henricus Boichus in cap. Peruenit. ex num. 17. de Decimis.
Rota Romana apud Achillem de Graſs. Deciſ. 307. alias 2. de Decimis.
Nauarrus Cap. 21. Sum. nu. 30. & Tomo 1. Conſilio 2. de Decimis.
Thomas Triuiſanus Parte 1. Deciſione 29. ex num. 14. apud quem alij non pauci.
Marius Antoninus libro 1. Variarum. Reſolutione 77.
Antonius Fabricius Tract. de Beneficijs. Tit. 4. ex nu. 8.
Iacobus Graffius Tomo 1. Conſilio Vnico. de Decimis. nu. 6.
Hieronymus Campanilis Iſernienſis Epiſcopus Tomo 1. Diuerſorij Canonici Rubrica 12. ex nu. 150.

Theologi.

Sanctus Raymundus libro 1. Tit. de Decimis. §. 13.
Et in eum locum Ioannes Friburgus.
Piſanus Ver. Decima 1. Verſic. Vtrum de Decimis excuſet conſuetudo. Licet loco, de quo infra, aliter.
Sotus libro 9. de Iuſtitia. Quæſt. 4. Art. 1.
Ludouicus Paleſtrelus Parte 1. Reſponſorum. Caſu 52.
Alphonſus Veracrucius in Speculo Coniugiorum. Parte 2. Art. 21. Verſic. Patet etiam de Decimis.
Alphonſus Vega Parte 1. Sum. Cap. 87. Caſu 1.

Iuriſconſulti.

Oldradus Conſilio 91.
Cynus.
Baldus. } *in l.Comperit.C.de Preſcript.Triginta annor.*
Salycetus,& alij.
Caſtrenſis Vol.2.Conſilio 324.Antiquę impreſſionis.
Soccinus Vol.1.Conſilio 145.Vol.3.Conſilio 297.
Pariſius Vol.3.Conſilio 1.nu.4.& Conſilio 25.nu.21.
Ripa Reſponſo 2.de Decimis. nu.8.
Caſſanaus Conſilio 34.
Beroĩus vol.1.Conſilio 79. nu.5.
Guido Papę Deciſione 284.
Natta Vol.1.Conſilio 136.
Rebuffus Tract.de Decimis.Quæſt.15.num.60.Verſic. Sed libertatem.
Tomo 15.Parte 2.Tractatuum nouorum.
Balbus Tract.de Preſcriptionibus.Parte 5.Principali.Queſt.7.nu.3.
Viuius Deciſione 4.ex nu.56.
Rodericus Suarez Allegatione 28.nu.4.
Renatus Choppinus Libro 3.de Sacra Politia. Tit.4.nu.4.
Ioannes Antonius de Nigris in Cap.Regni 92.nu.10.
Hercules Mareſcottus libro 2.Variarum Reſolutionum.Cap.95.nu.28.
Marcus Antonius Peregrinus Vol.1.Conſilio 14.nu.Vltimo.
Camillus Borrellus vol.1.Conſilio 24.ex nu.24.
Petrus Enriquez Cõnſilio 78.initio.
Modernus Tract.de Iuriſdictione,Parte.2.Cap.43.ex nu.67.
Ioannes Franciſcus de Ponte Vol.2.Conſilio 8.Initio.
Leander Galganettus Tract.de Iure publico lib. 3.Tit.54.apud quę alij.
Franciſcus Marcus Vol.2.Deciſione 198.nu.9.
Gerardus Maynardus Deciſionum Tholoſanarum lib.4.Deciſ.47.nu.2.
Ioſephus Ludouicus Deciſione Peruſina 106.ex nu.33.

Opinionem hanc probant,quia Decimæ prædiales debentur de iure Diuino.*Leuitici Cap.Vltimo.*Vbi verbum Domini eſt.*Omnes Decimę terra veſtræ,ſiue de frugibus,ſiue de pomis,Domini ſunt.*Ergo contra hoc ius nulla conſuetudo vim habet.*Cap.Vltimo.de Conſuetudine.*Quin potius de Decimis perſonalibus,quas *Sanctus Raymundus libro 1. Titu. de Decimis* §.13.Vbi conſuetudo non eſt eas ſoluendi,non deberi probat; poſt multa ita concludit.*Si ergo perſonales Decimæ non Dei, ſed hominum pręcepto debentur: videtur,quod conſuetudo contraria a culpa liberet non ſoluentes. Maxime vero per illam Conſtitutionem In aliquibus. de Decimis. Quę multum me mouet. Hoc tamen definire formido, audire magis cupiens, quam audiri.Conſilium tamen ſanum eſſet, vt ſoluerent. Vel ſaltem au-*

tori-

toritate Epiſcopi,& Eccleſiarum, quibus eſſent perſoluendę erogaret quilibet,vel ſimul, vel per quotidianas eleemoſynas in vſus pauperum. Ita S.*Raymundus*,eiuſque Sectator *Friburgus* eumdem in locum.

Eorum ſententia, qui eatenus conſuetudinem non ſoluendi prædiales Decimas vim habere concedunt,quatenus Eccleſia,cui illæ debentur, eas non petit.

CAPVT SEPTIMVM.

SAncti Thomæ *Quodlibeto* 2.*Quæſt*.4.*Art*.3. verba hæc ſunt. *Nulla conſuetudo contraria ſoluit hominem ab obligatione reddendi Decimam, quia hæc obligatio fundatur ſuper ius Diuinum, & naturale. Vnde ſemper tenentur homines ſoluere Decimas, ſi Eccleſia exigat, etiam, contraria conſuetudine non obſtante. Ideo peccaret, qui non redderet. Sed in Terris, in quibus non eſt conſuetudo communis, quod Decimæ dentur, & Eccleſia non petit: videtur Eccleſia remittere, dum diſſimulat. Alias homines Italiæ, & Orientalium Regionum damnarentur, vbi Decimas non ſoluunt*. Hæc *Sanctus Thomas* eo loco. Idem 2. 2. *Quæſtio*. 87. *Artic. Primo, ad Quinctum. Licet*, inquit, *Eccleſia poſſit requirere Decimas: tamen laudabiliter eas non requirit,vbi ſine ſcandalo requiri non poſſent propter deſuetudinem,vel propter aliam cauſam. Nec tamen illi ſunt in ſtatu damnationis, qui non ſoluunt in illis locis, in quibus Eccleſia non petit; niſi forte propter obſtinationem animi,habentes voluntatem non ſoluendi,etiam ſi ab eis peterentur*. Tot Sanctus Doctor. Eamdem doctrinam totidem verbis repetunt *Sanctus Antoninus Parte* 2.*Tit*. 4.*Cap*.4.§.6.*Piſanus Ver.Decima*.1.*Quæſt.Penultima. Verſic.Quid de illis qui ex antiqua conſuetudine.Roſellæ Autor.Ver.Decima.nu*.2.*Tabienſis Ver.Decima.Quæſt*.6.*nu*.7.non ita procul a fine.Qui hæc addit, *Patet etiam falſum eſſe,quod Sacerdoti debetur Decima non indigenti ſolum de iure poſitiuo,& ſic per conſuetudinem poteſt præſcribi. Hoc enim eſt contra Sanctum Thomam,qui ſolum ſe fundat ſuper Sacram Scripturam Euangelij,& Pauli.Eſt etiam contra rationem, quia ius naturale dictat, quod pro communi laborans vtilitate mercedem accipiat.Siue igitur indigeat, ſiue non: Semper tamen eſt de iure naturæ.Quia non fundatur in hoc, quod indigeat,*

digeat ,ſed quia laborat. Vnde poſſunt accipere Sacerdotes diuites, non obſtante quacumque conſuetudine. Sic *Tabienſis*. Et,vt *Tabienſis* ſenſerit; *Sancti Thomæ* ſententiæ de neceſſaria conditione petitionis Decimarum,vt intercipiatur conſuetudo, quamuis antiqua,ſicubi ſit, eas non ſoluendi,ſubſcripſerunt *Rota Deciſione* 1.*de Decimis. In Antiquis*.Quamuis Additionum autor ad eum locum Deciſioni illi non multum obſecundet.*Tyndarus Tract.de Decimis. Sub initium. Tomo* 15. *Parte* 2.*Tractatuum Nouorum*.Iuculenter his verbis,*Natta Vol*.1.*Conſilio* 136. *num*. 11.*Septimo,In tanta varietate opinionum videtur tenenda media ſententia,quam ponit Hoſtienſis in cap.A nobis de Decimis. Id eſt in regionibus,in quibus de more non ſoluitur Decima ,nec prædicatur: non peccant mortaliter homines,non ſoluendo , quaſi Romana Eccleſia videatur in his, quoad præterita diſpenſare. Ne tantam multitudinem ex hac cauſa damnare videatur.Sed ſi poſt monitionem,& prædicationem : mortaliter peccant. Et hanc opinionem videtur ibi potius ſequi Ioannes Andreas, quia benignior. Idem videtur tenere S.Thomas, quem refert Ancaranus in Cap.Maiores. licet non ſequatur.Vbi de facto Decimæ non ſoluuntur;poteſt Papa diſpenſare,vt non ſoluentes euitent peccatum. Non tollendo præceptum Decimarum,ſed non ſoluentes tolerando , vt peccatum non committant.* Ita *Natta*.Præterea *Emmanuel Rodericus Tomo* 2.*Quæſt.Regular.Quæſt*.44. *Art. Vltimo.Vbi,*inquit,*non eſt conſuetudo Decimandi;inducant Fratres ad Decimandum.Et ſi noluerit;non denegent abſolutionem.Niſi Sacerdos proprius reclamet.*Hæc ille.Idem *Ludouicus Carbonius Tract.de Præceptis Eccleſiæ. Cap*. 5.*in calce*, & *Marcellus Megalius Parte* 1.*Sum. Libro* 2. *Cap*. 12. *num*.33.

Verumtamen de hac Decimarum petitione, vbi conſuetudo non exſtet eas ſoluendi,non immerito hæc *Sanctus Antoninus Parte* 3.*Tit*. 4.*Cap*.3.*S*. 6.infra initium ſubmonet. *Non tamen videtur ſufficiens requiſitio Curati ad hoc,vt teneantur reddere, vbi non eſt conſuetudo exigendi. De Papa nulli dubium, quod, ipſo ordinante, vt exigerentur, vbi non eſt conſuetum; tenerentur homines.Sed vtrum ad requiſitionem Diœceſani teneantur ; dubium eſt.Et ideo ad Papam tunc recurrendum, & conſulendum*. Hæc *Sanctus Antoninus*. Nec abſimiliter *Aſtenſis, Friburgus,Maior,*quorum ad verbum doctrina a me ſupra allata eſt. *Silueſter Ver. Decima. Quæſt*. 4. *Alphonſus Aluarez in Speculo Iuris Pontificij. Cap*. 66. *Verſic.Et quia in hoc Capite*.Ex recentiſſimis *Sarnenſis Epiſcopus* acerrimus alioqui Eccleſiaſticorum tutelaris *Libro* 2.*de Viſitatione.Cap*.21.*num*.40. Nihil igitur in re hac,de qua agitur a Domino Aſculano Præſule Sanctiſs. D.N.Romano Pontifice *Vrbano Octauo* inconſulto interim attentandum. Qui, vt eius nobis ſingularis pollicetur humanitas, Religioſos Sanctæ Sedi Apoſtolicæ cum primis addictos,Cauſa cognita,auditurus, iure ſuo , ac Pontificio Priuilegio ſpoliari non ſinet.

Quid

Quid quod *Sanctus Thomas* docet, de ſcandalo in hoc negotio prouide cauendo? Nec minus circumſpecte *Alexander Alenſis Parte 3.Quæſt.51. Membro 6.Art.1.in fine. Archidiaconus in Can.Quicumque.16. Quæſt.7. Turrecremata in Can.Si tributum.11.Quæſt.1.Initio. Albericus in Dictionario.V.Decimæ. Balbus Tract.de Præſcriptionib. 1.Parte Quinctæ Parti principalis.Quæſt.7.Verſic.Dicit etiam. Ioannes Antonius de Nigris in Cap.Regni Volumus.num.15.Limitatione 4.Modernus de Iuriſdictione Parte 1.Cap.25. num.43.* & *Suarez* noſter *Tomo 1.de Religione Libro 1. Cap.38.num.5.Facile*,inquit,*debent Paſtores Decimas non exigere propter vitandum ſcandalum,maxime ſi ſit publicum, vel multorum*.Hæc ille, & *Andreas Molfeſius Tomo 1.Sum.Tract.6. Cap.4.num.65.* adiecit hoc præterea.*Vt eos multoties feciſſe ſcio*. Improbæ nimirum actionis bonus teſtis.Idem *D.Marchio Belmontis Regens Carolus Tapia in Commentarijs ad Neapolitani Regni iura.Libro 1.Rubrica 12.de Decimis.nu.12.* Quod ſi ſcandalum ſignificat turbæ concitationem,multitudinis tumultum, armatas rixas,percuſſionum, vulnerum, homicidiorum, vaſtationum, excidiorum pericula,vt certe, ſi ijs, qui appellati ſunt, creditur, non ſignificare non poteſt: animaduertet, mihi perſuadeo vigilantiſſimus, probiſſimusque Præſul,quanta populorum diuexatio,quot pugnæ, quot neces,nihil vt dicatur,de bonorum direptionibus,de animalium abigeatu,de prædiorum ceſſatione,de operarum impedimento,de fortunarum iactura,de armigeri Cleri impunitate ex inſolita Decimarum exactione miſeræ Apuliæ Prouinciæ ad ruinæ cumulum impendeat.

Eorum animaduerſio, qui conſuetudinem non ſoluendi prædiarias Decimas interrumpi nolunt, ſi Eccleſia non indigeat.

CAPVT OCTAVVM.

Doctrinæ huius autor haud dubium, quin *Sanctus Thomas* fuerit, repugnet *Tabienſis* loco proximo Capite memorato licet. Quippe Sancti eius verba ad *Cap.14.Commentariorum in Geneſim* illa ſunt.*Vbi non eſt conſuetudo dandi Decimas, & Clerici habent ſufficienter victum: non tenentur homines pro loco, & tempore illas dare.*Ita S.Thomas Nec ab eo diſſenſit *Gandauenſis Henricus*, qui eidem Theologiæ Magi-

ſtro operam, cui Sanctus Doctor olim dedit, & quem ſtrenuum in litterarijs ſpatijs ſortitus eſt Commilitonem; fidum in hac ſententia ſecutus eſt Anteſignanum. *Henrici Tomo 1. Quodlibet. Sexto Quæſt. 23.* Hæc ſunt verba. *Et conceſſum eſt, quod in illo caſu, quo Laicus delinqueret, non ſubueniendo de bonis ſuis Eccleſiæ; poteſt ipſum compellere ad Decimarum ſolutionem. Ius enim petendi in caſu ſemper reſidet penes Eccleſiam, neq. contra ipſum vmquam præſcribitur, ſicut neque contra ius petendi Decimas, & recipiendi ad vſum miniſtrorum Eccleſiæ. Licet quoad perceptionem quandoque pro tempore, & loco præſcribatur, ne forte Eccleſia debeat illas petere. Quemadmodum non imminente neceſſitate, non debet Decimas a Laicis petere, neque etiam a Clericis. Licet poſſit eas a Clericis petere ex minore neceſſitate. quia non habet proprietarium ius in bonis Eccleſiæ, vt Laici in ſuis.* Ita *Gandauenſis* in extrema illa Quæſtione. Ad eamdem ſententiam *Aſtenſis Libro 6. Titu. 35. Art. 6. Quæſt. 10.* & *Friburgus Libro 1. Sum. Tit. 15. Quæſt. 43.* & in Commentarijs in *Sanctum Raymundum Libro 1. Titu. de Decimis. §. 13. in Ver. Videtur.* ijs verbis acceſſerũt. *Nec poſſunt illi, qui fecerunt Decimarum compoſitionem, aut ſine contradictione ſuſtinuerunt huiuſmodi conſuetudinem, vel eorum ſucceſſores aliquid plus ſolito exigere. Nec domini prædiorum vltra ſolitum tenentur aliquid ſoluere, niſi Eccleſia ad inopiam redigatur, aut, niſi Papæ autoritate fiat ex certa ſcientia, reuocantis dictam compoſitionem, aut conſuetudinem. Sola vero conſuetudo non excuſat in prædictis caſibus, ſed compoſitio, ſeu remiſſio ſeu quietatio facta ab Eccleſia expreſſe, vel tacite, vel præſumte ex hoc, quod per tantum tempus pacifice ſuſtinuit, quod nihil pro Decima ſolueretur, aut minus Decima.* Hæc illi, & his complura. De quibus infra. Pluribus *Ioannes Maior in 3. Sent. Diſt. 37. Quæſt. 36. Concluſione 3. Verſic. Ad Secundum argumentum.* Vbi hæc ille tradidit. *Inſuper his diebus audiui apud Rotomagos plebeios coactos eſſe in Curia Eccleſiaſtica ad reddendas Decimas de fœno, & de alijs nonnullis rebus, de quibus apud eos inconſuetum erat Decimas reddere, & per conſequens illam legem recipere non tenebantur. Ad hoc fortaſſe diceres, quod Officialis erat Canoniſta, putans Decimas eſſe de iure Diuino. Vel diceres Paſtor Paſtori morem gerit. Sed nolumus ita dicere. Fortaſſe Curati illi parum habent, quo alantur. Et hoc eſt verum. Curæ hic extra magnas vrbes ſunt tenues, & quilibet Paganus ſuam habet curam. Propterea rationabiliter poteſt eis imponi noua Decima, vel iteratio Decimarum conſuetudine abrogatarum, etiam ſi Parochiani contradicant. Quia grex eſſe non poteſt ſine Paſtore, & Paſtorem neceſſe eſt Lac pro victu, & Lanæ partem habere pro veſtitu. Et inferiorum non erit taxare quantum Paſtori ſufficiat. Hoc ſpectat ad altum iudicem. Sed vbi Curatus ſufficienter prouiſionem haberet per Oblationes, vel aliter: non habet ſic imponere, nec Epiſcopus. Præſertim, ſi conſuetudo eſt in ea Regione Decimas non ſoluendi. Si dicas, Poteſt cogere homines in Regno ſoluere Decimas de omnibus*

nibus

nibus, quæ poſſident, nec ipſe leges imponit, ſed cogit eos ſeruare Leges Pontificias. Quod, niſi faciant; vltimo Eccleſiæ mucrone, ideſt excommunicatione eos feriet. Reſponſio. Vide an hæc futura ſit nota auaritiæ, vbi præſertim Curæ ſunt ſatis pingues. Vide, quod plus eſt, an vnanimi conſenſu proclament Leges illas apud eos per conſuetudinem præſcriptam abrogatas. ideoque eas non recipient. Nec Metropolitano licet in ſubditorum ceruices, quas ferre non immerito recuſent. Neque ex hoc ſequitur Canoniſtam contra ſentientem eſſe hæreticum. Aliud eſt eſſe hæreticum; aliud hæreſim tenere. Excuſatur Decimarum exactor ob verba Decretalium iuxta rudiorem ſenſum, donec ei contrarium oſtendatur. Sin autem, veritate cognita non acquieſcet; male aget. Canoniſtæ enim conſiderant Concluſiones ex Theologia, aut Morali Philoſophia deductas, non habito reſpectu ad Principia. Ideo facile a veritate aberrant. His *Maior*, ac pluribus. Itidem *Angelus Ve. Decima. nu. 2.* ſub finem. *Et ideo conclude, quod ſi Miniſter Eccleſiæ indiget propter ſuſtentationem, & petit; non excuſatur propter conſuetudinem contrariam. Si vero non indiget; tenetur ſoluere ſecundum quod conſuetudo ſe habet, vel Decimam, vel Vigesimam, vel Trigesimam. Aut, ſi nihil ſoluitur; excuſatur; dummodo Conſuetudo ſit præſcripta. Vt dixi ſupra Ver. Conſuetudo.* Sic Angelus. *Caietanus in 2. 2. Quæſt. 87. Art. 1. ad Quintum. & V. Decima.* Qui ita concludit. *Vbi non eſt conſuetum ſolui Decimas: non peccat omittens ſoluere, ſalua tamen cura Paſtoris ſui, vt habeat vnde viuat honeſte. Si non habeat reditus, vnde poſſit viuere, vt ſibi congruit. Quia ad hoc pro rata ſua quilibet ei ſubditus tenetur, nulla ei conſuetudine ſuffragante.* Hæc ſunt *Caietani*. Cui adhæſit, vt ſolitus eſt, *Armillæ autor Ver. Decima nu. 2. Eccleſia,* inquit, *ſemel acceperunt totam Decimam, cum receperunt poſſeſſiones ſufficientes ad ſuam neceſſitatem. Et ſic poſſet dici, quod continue recipiunt Decimas, ideſt reditus ratione Decimæ. Si ita eſt; ſoluta eſt Quæſtio. quia non amplius poſſunt petere. Et credo ſic eſſe, cum videamus omnes Eccleſias, Epiſcopos, & Prelatos diuites.* Hæc *Fumus* inſigniter. Eodem ſenſu doctrinam hanc interpretati ſunt Societatis noſtræ Theologi.

Henricus Henriquez Libro 7. Qui eſt de Indulgentijs. Cap. 27. Initio.

Franciſcus Suarez Tomo 1. de Religione. Libro 1. Cap. 12.

Gabriel Vaſquez Opuſculo de Beneficijs. Cap. 1. S. 1. Dubio 2.

Gregorius de Valentia Tomo 3. Diſp. 6. Quæſt. 5. Puncto 2.

Card. Toletus libro 6. Cap. 20.

Leonardus Leſſius libro 2. de Iuſtitia. Cap. 39. Dubitatione 5. nu. 25.

Ioannes Azorius Tomo 1. libro 7. Cap. 26. Quæſt. 2.

Valerius Reginaldus libro 19. Praxis. nu. 97.

Emmanuel Sa Ver. Decima. nu. 1.

Vincentius Filiucius Tomo 2. Quæſt. Moralium. Tract. 27. Cap. 7. ex num. 152.

Alij Theologi recentiores.

Petrus Aragona Tomo 2. in 2.2. in Quæſt. 87. Art. 1. Verſic. In ſolutione ad Quinctum.
Emmanuel Rodericus Tomo 3. Sum. Cap. 119. nu. 4.
Ioannes Malderus in 2.2. Quæſt. 87. Art. 1.
Ioannes Baptiſta Corradus Tomo 1. Reſponſorum. Quæſt. 394.
Antonius Fernandes Parte 1. Examinis Theologici. Cap. 13. §. 3.
Martinus Bonacina Tomo 2. Moral. de Præceptis. Diſp. & Quæſt. Vltima. Puncto 5. num. 7.
Andreas Victorellus in notis ad Toletum libro 6. Cap. 20. Verſ. Aduerte.

Canoniſtæ.

Couarruuias libro 1. Variarum. Cap. 17. ex nu. 6.
Ioannes Guttierrez libro 2. Canonicarum Quæſt. Cap. 21.
Alphonſus Aluarez in Speculo Iuris Pontificij. Cap. 66. Verſic. Et quia in hoc capite.
Card. Tuſchus Tomo 2. Concluſione 72.
Franciſcus Leo Theleſinus Epiſcopus Parte 2. Theſauri. Cap. 12. nu. 19.
Bartholomæus Vgolinus Tract. de Poteſtate Epiſcopi. Parte 1. Cap. 9. §. 2. num. 4.
Stephanus Gratianus Tomo 3. Diſceptationum. Cap. 595. nu. 16.
Paulus Piaſecius Parte 2. Praxis. Cap. 4. Art. 9. nu. Vltimo.
Nicolaus Intrigliolus. Tract. de Caſibus. Caſu 90. nu. præſertim 93.
Carolus Tapia libro 1. Commentariorum ad Iura Regni. Rubric. 12. n. 12.
Paulus Salodius Tract. de Viſitatione. Parte 2. Cap. 7.
Andreas Molfeſius Tomo [illegible]. Tract. 6. Cap. 4. nu. 22. & 65.
Rota Romana apud Achillem de Graſſis Deciſione 310. alias 5. num. 2. de Decimis.
Eadem Rota apud Farinacium Tomo 3. Priorum Deciſionum. Deciſione 293. num. 3.
Ioannes Petrus Moneta Tract. de Decimis. Cap. 1. ex num. 24. & Cap. 5. Quæſt. 5. num. 105.
Petrus Fontanella Tract. de Pactis Nuptialibus Clauſula 4. Gloſſa 19. Parte 1. ex nu. 27.

Aliorum

Aliorum ſententia, qui in hac re ſimpliciter conſuetudini ſtandum eſſe cenſent.

CAPVT NONVM.

Petrus Auendanius Tract. de exſequendis Mandatis Regum. libro 1. *Cap.*1.*num.*32.*Verſic. Item iſta iuriſdictio.* hæc ſcripſit. *Item iſta iuriſdictio contra Eccleſiaſticos per modum defenſionis, vel protectionis habet locum ſi fiat nouitas in materia de ſoluendis redecimis. Nam hoc poteſt Rex prohibere Eccleſiaſticis perſonis. Et ita late probat Gulielmus de Benedictis in cap. Raynutius. In Ver. Abſque liberis.*2.*nu.*45. *Et ne fiat nouitas, ſed eſſe in hoc ſeruandam præteritam conſuetudinem, probat Baldus in l.*3.*C. de ſeruitutibus, & aqua. Et loquendo de Decimis prædialibus. notat poſt Abbatem Bellencinus in cap. In aliquibus. de Decimis. Afflictus in Conſtitutionem Regni Tit. de Decimis. num.*15.*Benedictus in d. cap. Baynutius. in Ver. Vxorem. num.*347. *Et in bono exemplo. Decius vol.*2.*Conſilio* 215. *num.*5.*& Caſſaneus in Conſuetudines Burgundiæ. Rubrica* 4.§.6. *Et de perſonalibus Decimis notat Gloſſa in cap.* 1.*de Decimis. in* 6. *Archidiaconus in Can. Quicumque.*16 *Queſt.*7.*Boerius Deciſione* 236.*Rochus de Curte in cap. Vltimum. de Conſuetudine. Ad extremum. Nouitas tunc fieri dicitur in exigendis Decimis, quando exigitur, quod non eſt ſolitum exigi decem annis præteritis.* Hactenus *Auendanius*. Concinit *Fernandus Vaſquius libro* 2. *Controuerſiarum. Cap.*89.*nu.*9.*Verſic. Quid dicendum. Hinc apparet* (hæc eius verba) *ſuſpectum eſſe, quod Couarruuias loco citato firmat irrationabilem, & omnino iniquam eſſe conſuetudinem, quæ ab omnium Decimarum tam prædialium, quam perſonalium præſtatione laicos eximeret. Eſſet enim, inquit, nimia hæc exemtio. Siquidem euaneſceret reuerentia, quæ a Laicis, Sacerdotibus, vt decet, exhibenda eſt. Verum ea non ceſſaret, ſed potius augeretur. Cum enim Laici a Sacerdotibus expilati ſe vident: eos ſolent ridere, exſibilare, & odio habere. Non ita ſe habent erga pios & humanos parentes, quorum caritate cum populi neceſſitati ſubuenitur: eorum animi ad mutuam neceſſitudinem ardentius excitantur. Ergo longe honeſtius, ac ſanctius habendum eſt, vt laici, beneficijs acceptis, inuitentur ad obſequia eis præſtanda. Quanto igitur facilius huiuſmodi conſuetudo tolerabitur, quæ neque eſt contra ius Diuinum; ſed contra ius poſitiuum, vt oſtenſum eſt, neque eſt irrationabilis, cum Clericis aliunde prouideri poſſit de congrua ſuſtentatione, & de alimentis; neque præbeat occaſionem peccandi, ſed eam potius auferat; neque denique res noua ſit; ſed non in paucis Chriſtiani nominis regionibus vſitata.* Sic *Vaſquius.* Cuius do-

ctrinam approbauit *Rota Romana Parte 3. Nouiſſimarum. Deciſione* 471. Et apud *Farinacium Tomo 3. Priorum Deciſionum. Deciſione* 203. *num.* 3. Nec dubium de re hac reliquit Summus Pontifex in *Cap. In aliquibus. de Decimis.* Qui cum §. *vltimo* ita ſtatuiſſet. *Illæ quippe Decimæ neceſſario ſoluendæ ſunt, quæ debentur ex lege Diuina, vel loci conſuetudine approbata.* *Gloſſa in Ver. Conſuetudine* hæc adiecit. *Attenditur conſuetudo in Decimis.* Infra. *Et hic de Conſuetudine approbata, & præſcripta. alias non obeſſet conſuetudo.* Ita Gloſſa. *Idem Gloſſa* iterat in *cap. Cum ſint homines. eodem Titulo. de Decimis. in Ver. Ad Conſuetudinem. Et intelligo,* inquit, *quod illa conſuetudo ſit præſcripta, per quam iuri communi præiudicatur, quæ eſt optima Legum interpres, alias non credo locum habere conſuetudinem. Cap. Cum dilectus, ſupra. de Conſuetudine.* Hæc *Gloſſæ* autor. At vero in Decimis locum habere præſcriptionem a Romano ipſo Pontifice didicimus in *c.* 1. *de Præſcriptionib. in 6.* Quamuis autem Pontifex eo loco de præſcriptione iuris Decimas exigẽdi reſpectu Eccleſiarũ, quę Decimas exacturæ ſunt: loquatur eamdem tamen rationem eſſe de præſcriptione Decimas omnino nullas perſoluendi obſeruarunt Gloſſa in loca citata, & plerique omnes, quos præter commemoratos ſupra, colligunt, & ſequuntur *Nauarrus Cap.* 21. *ex nu.* 28. *Henriquez libro* 7. *Cap.* 27. *num.* 2. *Azorius Tomo* 1. *libro* 7. *Cap.* 37. *Quæſt.* 4. *Leo Parte* 1. *Theſauri. Cap.* 12. *num.* 19. *Petrus Barboſa in l. Titia. num.* 47. *ff. ſoluto matrimonio. Moneta Tract. de Decimis. Cap.* 5. *Quæſt.* 5. *num.* 105. *Gaſpar Theſaurus Tomo* 3. *Quæſt. Forenſium. Quæſt.* 86. *ex num.* 12. *Hieronymus Ceuallus Tract. de Cognitione per viam violentiæ. Quæſt.* 25. *num.* 29. *Petrus Enriquez Conſilio* 67. *ex num.* 13. *Triuiſanus Libro* 1. *Deciſione* 15. *num.* 34. *Philippus Niger Tract. de exemtione Canonica Parte* 4. *num.* 22. Illis verbis. *Attamen hodie ex Conſtitutione Imperatoris prohibentur Clerici Decimas exigere non conſuetas dari ab bine Quadraginta annis. Tit. de Decimis. Vbi eius quoque interpretatio ſubijcitur, & ita obſeruatur.* Hæc *Niger.* In Neapolitani Regni *Capitulo,* cuius initium eſt *Officiales Comitum.* & in *Pragmaticis* eſt *Honorij* Pontificis Capitulum, cuius initium *Honorius.* Quibus Decimarum ſolutiones ſolitæ imperantur. Vnde a noſtratibus colligitur diuerſum eſſe in Neapolitano Regno iudicium de Decimis inſolitis. In non exigua huius Regni parte prædiales Decimas ex vetere hominum recordatione in vſu non eſſe notius eſt, quam, vt probandum ſit. Idipſum communi fere more ſeruari monet *Belluga,* nec falſo, in *Speculo Principum Rubricæ* 25. §. *Hactenus. nu.* 27. *Verſic. Ex hoc.*

Confirmatius fit, quia conſtans ad vnum omnium eſt plane ſententia in ſolutione Decimæ prædialis non deduci ſemen, & ſumtus. *Cæleſtinus* quidem *Tertius* Pontifex Vercellenſi Epiſcopo *in c. Tua nobis. de Decimis.* ita reſcripſit. *Quidam ex eis ſemen, & ſumtus, qui fiunt in agricultura dicunt primitus deducendos, & de reſiduo impendendam Decimam*

aſſe-

aſſeuerant.Infra.*Cum enim Deus,cuius eſt terra, & plenitudo eius,deterioris conditionis eſſe non debeat,quam Dominus temporalis, cuius ſtatutum de terris,quas exhibet alijs excolendas,non deductis ſumtibus, aut ſemine ſeparato, neceſſario cum integritate perſoluitur: nimis profecto videtur iniquum: ſi Decimæ,quas Deus in ſignum vniuerſalis dominij ſibi reddi præcipit,occaſione præmiſſa;vel excogitata magis fraude,diminui valeant*. Hęc Pontifex eius doctrinam ornarunt S.*Raymundus libro* 1. *Tit. de Decimis*. §.4 *Gloſſa,Hoſtienſis*,& alij,quos congerunt,& ſequuntur *Aſtenſis libro* 6. *Tit*.35.*Art*.5.*Quæſt*.2.*Friburgus libro* 1.*Tit*.15.*Quæſt*. 23. *Piſanus Ver. Decimæ* 1.*Verſic.Vtrum de Decimis deduci poſſint expenſæ*.*Panormitanus*, & alij *in d.cap.Tua nobis*.*Tabienſis Ver.Decima*.*Quæſt*.4.*num*.5.*Armilla Ver. Decima. Aragona in* 2.2. *Quæſt*.87.*Art*.2. *Rodericus Tomo* 1.*Sum. Cap*.87.*nu*.4 *Suarez Tomo* 1.*de Religione libro* 2.*Cap*.35.*Prope finem*.*Vega Parte* 1.*Sum.Cap*.87.*Caſu* 8.*Franciſcus Marcus Vol*.2.*Deciſione* 198. *Initio*.*Tapia libro* 1.*de Iure Regni*.*Rubrica* 12.*num*. 15. *Vgolinus libro* 1. *de Poteſtate Epiſcopi*.*Cap*.9.§.2.*num*.3.*Moneta de Decimis*.*Cap*.6.*Quæſt*. 4.*ex num*.28.*Campanilis Tomo* 1.*Diuerſorij Rubrica* 12.*Cap*.13.*nu*.159. Et nuncupatim de ſumtibus.*Panormitanus in c. Paſtoralis. num*.2. *de Decimis*.*Capycius Deciſione* 20. *Maior in* 3. *Sent. Diſt*.37.*Quæſt*.36. *ſub finem*.*Leo Parte* 2.*Theſauri*.*Cap*.12.*nu* 13. *Antonius Fabricius in Praxi Beneficiorum Tit.de Decimis nu*. 31. Sententiam hanc vſque eo probauit *Sotus libro* 9.*de Iuſtitia*.*Quæſt*.4.*Art*.2.*ante Verſic*.*Ad Primum igitur argumentum*. Vt negarit contraria conſuetudine obligationem hanc auferri.Hæc autem Sotus eo loco. *Vtrum autem agricola ex aceruo ante Decimationem operas, & ſuos ſumtus aut ſaltem Semina poſſit excipere. non video cur dubitetur.Neque de hoc ratio permittit conſuetudinem valere,adeo id certum eſt non licere.c.Non eſt.c.Tua nobis, & cap.Paſtoralis. de Decimis.Quia exiſtimandū eſt genus quoddam Societatis contrahi inter hominem,ac Deum. Homo enim ſemina ſua, laboreſque, & ſumtus ponit,exponitque Deo confiſus, periculo. Cum ergo Deus ſua benignitate cumulatam frugem conferat, ſatis eſt, ſi homo pro ſuo periculo retentis nouem partibus, Decimam Deo reddat*. Hæc *Sotus*. Nec minus enucleate eamdem ſententiam approbauit *Viuius Vol*.1.*Deciſione* 4.*nu*.14.

Probatiſſima vero eſt contraria ſententia, quæ eſt in hac quoque re loci conſuetudinem Pontificiæ Sanctioni,& receptæ doctrinæ pręferendam. *Angelus,Silueſter,Tabienſis,Armilla*,quibus aſſenſi ſunt *Rebuffus Quæſt*. 12.*de Decimis*.*Azorius Tomo* 1.*libro* 7.*Cap*. 37. *Quæſt*.2.*Renatus Choppinus libro* 3.*de Sacra Politia Tit*.4.*ex num*. 4. *Moneta de Decimis*. *Cap*. 6. *Quæſt*.2.*ex nu*.15.*Vbertim Guttierrez libro* 2.*Canonicarum Quæſtionum Cap* 21.*ex num*.32.Quod negat in hac re *Sotus* de conſuetudine, vere vt dicam commentitium neſcio quid redolet. Creberrima enim eſt confeſſio,& omnes pęne id fatentur,ſi perpauci excipiantur perſonales Deci-

mas

mas impune, vbi conſuetudo ita fert, non pendi. Venetijs eas non, niſi in exitu vitæ ſolui memorauit, nec improbauit *Roſella V. Decimæ. num. 2. Ex Panormitano in c. Tua nobis. de Decimis. Conſuetudo*, inquit, *eſi Venetijs, vt in vita non ſoluantur Decimæ perſonales, ſed in morte ſoluatur Decima de omnibus mercantijs, localibus, & alijs mobilibus. Nam poteſt Eccleſia in hoc caſu ſe habere ad lucrum, & damnum. Quia ſi ille reperitur ditatus in morte; Eccleſia ſenſit lucrum; ſi depauperatus, damnum.* Hæc Roſella. Miſſi fiant alij ſexcenti. Quis autem non rationis inops ignoret, quanto e ſuperum præſidio hominum induſtria nexa ſit operę? Concipiatur animo nauticum commercium. Quot periculis expoſitum eſt. Qui flatuum impetus, fluctuum tumultus, prædonum incurſus? Quæ ſcopulorum latebræ, Syrtium Salebrę, Scyllarum, Charybdumque voragines? Qui mentium æſtus, qui animorum Euripi, quam anxiæ ſollicitudines, quam erumnoſæ curæ, quam infauſtæ iacturæ in pectora mercatorum inſultant? Vt cum certa lucri ſpes arrideat; tunc aduerſa maxime alea rideat exſpectationem. Ex prudentiæ nundinis aducta huc eſt vendibilis illa ſententia. Non placet e rudentibus apta fortuna. Incognita maritima diſcrimina non fuerunt *Petro de Stephano*, viro, me puero, Neapoli non obſcuro, affluenter ab opibus, affatim a rerum experientia parato. Is ingenti ære exſtructam nauem ſuam onerariam nullius ſponſione mortalis, niſi Orbis vniuerſi moderatricis Dei parentis reducem fore ſtipulatus, inuiſebat antelucanis horis Annunciatæ ædes Virginis, & quanta maxima pietate, ac fiducia in eleemoſynariam templi capſellam tantum clam omnibus nummorum immittebat; quantum illa vix caperet. Ad menſem aliquando Iunium ſub Caietæ mœnia Turcicorum Piratarum Triremes onuſtum mercibus nauigium, adoriuntur, eoque nemine repugnante, potiuntur. Dum mari ſumma tranquillitate conſopito, ab ijs remulco nauis abripitur; Caietanæ arcis Bõbardæ diſploſæ tonant. Chriſtianis hominibus, qui in vrbe illa erant, nihil eiuſmodi cogitantibus. Quippe id temporis toti erant in Auguſtiſſimæ Synaxeos celebritate, compita, vt ſolemne eſt, perhonorifica pompa luſtrantis. Turcæ interim cœleſtibus obſtupefacti diris, ſibi æneorum tormentorum fulmina minari ſuſpicati, funiculos momento præcidunt; remis, ac velis euolant. Nauis cum ſuis vectoribus, & oneribus incolumis ad Neapolitanum portum, a quo non procul aberat, appellit. Quorſum hæc tandem? Niſi, vt perſpicue nobis innoteſcat, quam ſecure nauiget, qui Diuino fretus numine freto ſe committere non dubitat; quam inſidioſa rurſus, ac plane rata Neptuni perfidia. Prope eſt igitur, vt neſciam, quæ cauſa ſit, cur non liberatori Deo de ſeruatis bonis e naufragio, ac direptione Decima nihilo minus debeatur, quam de frugibus aduerſus cœli, ac terrarum iniurias, quibus vndecumque patent, in horreo repoſitis. Quocirca iuxta meam opinionem aliunde quæ dicta eſt, prædialium Decima-

rum

rum debitio ducit originem. Ea præter Moſaicæ ac Pontificiæ legis præſcriptum, quod Diuinum nonnullis appellare collibitum eſt, mihi ad præſens alia non occurrit. Si commodior afferatur ab aliquo; nec pugnaciter inſiſtam, nec vehementer vrgebo. Cum igitur, quod ſpectat ad Decimas perſonales conſuetudo pro lege ſit: nihil eſt, eadem conſuetudo, quod ad Decimas prædiales, aut ad ſemina, & ſumtus attinet, vt a iure Diuino aliena, & non ferenda corruptela damnetur. Cum nihil ſit euidentius, quam Aſculanam Eccleſiam ad neceſſariam miniſtrorum ſuſtentationem Decimis non egere. Et incredibile omnino eſt, ſi illa Eccleſia Decimarum indigentia laboraſſet; futurum fuiſſe, vt per tam longum temporis ſpatium ceſſationem ab earum ſolutione toleraret. Nec, niſi a ſtultis indormitur inopiæ. Frugi clerus ſemper fuit, & prohibita familiæ, cuius onus laudabiliter decollauit, cura, ſtudioſe rerũ ſuarum, & Eccleſiaſticarum Spartæ, quam vnicam ſuſcepit, nauiter, & aſſidue vacauit. Egeſtas torporem exſtimulat, & ægre cedit neceſſitati deſidia.

Vt autem nihil horum eſſet, nec locum vllum haberet in Decimis prędiarijs conſuetudo præſcriptiua; negandum tamen non eſſet valere in eis conſuetudinem interpretatiuam. Ita *Rota* apud *Puteum Libro* 3. *Deciſione* 65. *in Additione in nouiſſimis*. Quæ his verbis concludit. *Ex quo teſtes per remiſſoriam examinati dicebant, quod per longum tempus Decimæ, quæ debebantur Curato, & Rectori non ſoluebantur, negari non poterat, quin Priuilegium eſſet dubium, & ideo eſſe per conſuetudinem interpretatum. Ita, vt ſtandum ſit conſuetudini interpretatiuæ.* Hæc *Rota*. Multa de vi conſuetudinis interpretatiuæ eadem *Rota Tomo* 1. *Deciſionum nouiſſimarum*. *Deciſione* 571. Vbi ab eius Prætorij Patribus *nu*.4. hæc rectiſſime ſcripta ſunt. *Eſt enim interpretatiua, & non inductiua conſuetudo. Caſtrenſis in l. Hæredes palam. S. Si quid poſt. de Teſtamentis. Sarnenſis in Regulam de Iure quæſito non tollendo. Quæſt.* 13. *etiam ſi non conſtet, quod ſit longo tempore obſeruata. Quia hæc conſuetudo non requirit præſcriptionem, Sed actus tantum. Late poſt alios Aymo Conſilio* 101. *num*.4. *& Conſilio* 202. *nu*. 12. *Et licet, vbi agitur de iure auferendo vni, & dando alteri, talis conſuetudo debeat eſſe præſcripta. Soccinus Conſilio* 260. *num*. 19. *libro* 2. *tamen id verum eſt, vbi conſtat de iure alterius, quod hic non eſt clarum.* Sic *Rota*. In hac autem facti ſpecie nobis propoſita Conſuetudo prædiales Decimas de Feudo Ordonenſi certa eſt: Aſculanæ Eccleſię ius, ac Priuilegium ſaltem dubium. Ergo, circumſcripta quacumque præſcriptione, conſuetudo interpretatiua Romanæ Rotę iudicio, litem dirimit, eamque Feudo ipſi Ordonenſi adiudicat. Confirmatur, quia conſuetudo hęc Decimas non ſoluendi, vt probatur, non modo decennij eſt, quod temporis ſpatium ſatis ad pręſcriptionem hanc viſum eſt Auendanio loco, de quo ſupra, ſed ſupra Quadraginta, & Centum annos, & amplius. Vt

vere inueterata, & plane immemorabilis eſſe cenſeatur quam ad prę-ſcriptionem etiam Decimarum non ſoluendarum ſufficere voluerunt *Pariſius Vol.4.Conſilio 25.nu.6.& 27.Couarruuias libr.1.Variarum Cap. 17.nu.8.Verſic.10.Ludouicus Gozzadinus Conſilio 7.Verſic.Septimo. Ioannes Antonius de Nigris in Cap.Regni.Volumus.num.7.Rebuffus Tract. de Decimis.Quæſt.13.ex nu.81.Moneta Tract.de Decimis Cap.5.Quæſt.4. num.103.Verſic.Sexta Concluſio.& Quæſt.5. num.112.Verſic. Quarta Concluſio.*

Reliquæ pro Aſculana Eccleſia rationi occurritur.

CAPVT VLTIMVM.

CVm norint omnes prędiales Decimas Eccleſię deberi propter Sacramentorum adminiſtrationem; *Achilles Deciſione 311.alias 6. de Decimis.* ſublatam difficultatem putat, qui in hac controuerſia Aſculanam Eccleſiam tuetur. Quia oſtenſum eſt, vt ex Actis palam conſtat quotannis ſemel ſaltęm in Paſchate Laicos colonos, qui in Ordonenſi agro operam ſuam, pręſtituta mercede ob agricolationem locarunt, Aſculanis Presbyteris cum approbatione Epiſcopi peccata ſua Sacramentaliter confeſſos ab eiſdem in agri ipſius Oratorio Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum recepiſſe. Ad hoc argumentum reſpondetur prædiales Decimas non exigi ab Operarijs Ordonenſis agri, ſed a Patribus Societatis, qui habent agri dominium. Scite quoque *Triuiſanus Libro 1.Deciſione 15.nu.24.* ita ſcripſit. *Poſſeſſio igitur Religionis eſt in non ſoluendo Decimas prædiales Rectori prædicto pro parte Dominicali. Poſſeſſio Colonorum eſt in non ſoluendo Decimas Religioni, Priuilegijs in contrarium non obſtantibus. Poſſeſſio dicti Rectoris eſt in exigendo Quarteſia, vt ipſe aſſerit, ſed re vera, quaſdam Primitias loco eleemoſynæ ratione adminiſtrationis Sacramentorum a Colonis.* Sic ille. Neutrum horum eſt in hac re, excepto primo Capite, hoc eſt, quia noſtri parati ſunt probare non modo per decem & octo annorum ſpatium, eoque amplius, ex quo die Ordonenſe Feudum emtionis contractu, coemerunt, ſed per immemorabilem ante quam oneroſo titulo illud quęſiuiſſent, nullam penitus prędialium Decimarum partem Aſculanę Eccleſię perſolutam. Id, quod Fiſcus Regius de Terris item ſolidis contendit. Ceterum, neque a noſtris

Laicis Colonis Feudum locatum eſt,ſed illud per conductas potius Laicorum operas ęre ſumtuque ſuo colitur. Neque Laici ipſi operarij quidquam vmquam nec Decimarum perſonalium, aut prędialium, nec Primitiarum,net Eleemoſynarum titulo Aſculanis Preſbyteris ſoluerunt. Nec in loco viciniore,qui eſt agrorum Sturnarię, & Hortę Ecclefię Cirinolanæ Decimæ vllæ penduntur,& perperam ab illa Eccleſia peterentur. Loci autem vicinioris in hac re.vbi ſubſit dubium,habenda eſt ratio.*Sanctus Raymundus Libro* 1.*Tit.de Decimis*.§.18.*Achilles Deciſione* 308.Alias 3.*de Decimis.ex nu*.6.

In extremum hunc locum,quo magis hæreret in animis, de induſtria inſignem Luſitani Senatus Deciſionem reieci, quæ eſt Septuageſima apud Melchiorem Phoebum.Eam ad verbum accipito. Et quoniam eorum omnium,quæ dicta ſunt κατάληψις eſt,libenter mea cauſa perlege, quam in tuam gratiam non grauate deſcripſi.

Dominus Ludouicus Coutinho Comendatarius Comendæ Sanctæ Mariæ Conceptionis,ex oppido da Golegãa,cum eſſet in poſſeſſione recipiendi decimas de omnibus terris ſitis in confinibus dicti oppidi, & ſpecialiter ex Caſali, aut prædio,quod vocant do Spargal,*contra Monachos Conuentus* de Thomar, *ad quos deuenerat dictum prædium,conquerebatur de ſpolio,& propoſito interdicto vnde vi,dicti Monachi ſe eximere conabantur ex priuilegijs Summorum Pontificum dicto Ordini conceſſis,ad inſtar Ordinis Ciſtercienſis, ex quibus illis fuit indultum,quòd decimas non ſoluerent de prædijs, quæ poſſediſſent,ſi ea proprijs ſumptibus excolerent.*

Sed diſcuſſa cauſa,Præſes Curialis, dictos Monachos condemnauit ad reſtitutionem decimarum,ex eo potiſſimum fundamento,quòd Comendatarius,erat in antiqua poſſeſſione recipiendi decimas omnium fructuum collectorum in terris ſuæ diœceſis.

*Sed delata cauſa ad ſupremum Senatum,non ſolum de ſpolio, ſed de proprietate ventilatum fuit,ad inſtructionem poſſeſſorij,nec abs re,quia vt contingit in poſſeſſorio beneficij,vt plurimum commixtum habet proprietatis, cum titulum ſaltem coloratum exigat in ſpoliato,vt reſtituatur, ex Gutterrez Canonic.lib.*1.*cap*.34.*nu*.16.*Barboſa in l.Titia, nu*.27.*ff.ſoluto matrimon. & omnes in cap.ad decimas de reſtit.ſpoliat.in* 6.

*Sed in fauorem dictæ ſententiæ poterant etiam adduci hæc ſequentia fundamenta,& primò quod dictus Comendatarius decimas colligebat ſuæ preceptoriæ,applicatas Breui, & indulto Summi Pontificis, in eaque a multis retro annis erat poſſeſſione conſtitutus, a qua videbatur modo deijci, cum impediretur vti iure ſuo,& poſſeſſione ſibi competenti; cum etiam in his iuribus incorporalibus conſideretur ſtatus, cap. querelam de electione, & pro his competat interdictum vnde vi,ex his quæ Menoch.rem.*1.*recuper.num*. 89.*Paulus conſ*.363.*vol*.1.*Decius conſ*.215.*nu*.5.*Gutterrez lib*.2.*Canonic.*

cap.21.num.147.

Secundò etiam ſi agnoſcamus hoc Priuilegium, ne ſcilicet ex rebus, proprijs ſumptibus ex cultis, decimæ ſoluantur, fuiſſe Monaſterio conceſſum, adhuc oportebat, vt competenti iudici præſentaretur, & citatis & auditis partibus, quorum intereſt, Monaſterium in talem poſſeſſionem induceretur, ne aliàs videretur priuilegiatus executor ſui priuilegij, & ſibi ius dicere in ſua propria cauſa contra iuris regulas, vt in ſimili Suares de Diuino cultu cap.38.num.2. Nauarr.conſ.2.de decimis, maxime cum contra illud multa opponi poſſint, quæ tam nullitatem conceſſionis, quam iniuſtitiam reſpicerent. Ex quibus ſtricte interpretanda eſſe talia Priuilegia iura proclamant, & non extendi ad bona futura poſt priuilegium habita, cap. nuper de decimis, cum tertij præiudicio, in quo facit cap. dudum de priuileg. cap. dudum de decimis. & Ordin. lib.4. titu.58. in principio, Gama deciſ.4.nu.1.

Tertio, quod dictum priuilegium Ordini conceſſum, ne decimas ſoluat ex his, quæ proprijs ſumptibus excolit, eſt ſpeciale reſpectu Comendatorum omnium, quibus ex ſpeciali priuilegio competit in illa comenda ſibi aſſignata leuare decimas pro ſubſtentatione familiæ, vnde in concurſu priuilegiorum, ſpeciale generali derogat, maxime quando Comendatores ſunt illius proprij Ordinis priuilegiati, quia contra ſuos non videtur conceſſum, & eſt nouum genus exactionis, vt Monachi a ſuis Monachis exemptionem prætendant: Comendatores enim Monachatum retinent. cap. penult. de priuileg. vbi Cardin. Oldradus conſ.268. Felin. in c. cauſam quæ de reſcriptis, nu. 11. Guttierrez d.cap.21. nu.129.

Nec huic priuilegio ſpeciali Pontifex derogare intendit, niſi quando de eo faciat ſpecialem, & ſpecificam mentionem, quare cum priuilegij ſpecialis non meminerit, ſed generaliter diſponat, ne decimas ſoluant, non eſt viſus recedere a priori priuilegio Comendatoribus conceſſo, quo illis permittitur decimas ſuarum præceptoriarum percipere, qui etiam pariter, aut plus priuilegiati ſunt conſiderandi, cum gaudeant etiam priuilegio illo generali Ordini conceſſo, ne decimas ſoluant, & ſuccedit regula, quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum, &c. cap.1. §. cæterum de decimis. Gregorius in l.4. titul. 20. libro 6. in gloſſ. vt illis priuilegium præualeat, qui agit de damno vitando.

Quartò facit, quòd hoc priuilegium non videtur eſſe in vſu, cum illo etiam gaudeant Monachi Sancti Benedicti, & alij Religioſi, qui ſunt fere omnes, vt conſtat ex communicatione, quæ inter omnes eſt; patetque ex his, quæ optime, & nouiſſime adducit Pater Frater Ioannes de la Cruz in Epitome de ſtatu Religionis lib.2.cap.4. per aliquot concluſiones, vbi multa ad hanc rem conducentia adducit; & tamen decimas ſoluunt, nec illo vtuntur, quod facilius admittendum in hoc caſu, cum priuilegium ſit ad inſtar illius, vt colligitur in dictis Bullis Summorum Pontificum, quæ priuilegia ad inſtar a ſuo

prin-

principali metiri debent, nec plus acceſſorio, quam principali concedamus, cum propter quod vnumquodque tale, & illud magis, Valaſc. ex alijs conſult. 12. in 1. par.

Quibus tamen non obſtantibus contrarium apud Senatum ſupremum fuit iudicatum, quæ ſententia verior eſt in hoc caſu, & primus in ea fuit Senator Regius Doctor Gabriel Pereira de Caſtro, cui ſubſcripſit Senator Regius D. Thomas Pinheiro da Veiga, & eſt proceſſus apud Scribam Ioannem Leal, anno 1618. Quæ ſententia Senatus poteſt confirmari; ex eo, quod non eſt dubium, Pontificem poſſe aliquos a ſolutione decimarum eximere, vt in cap. a nobis de decimis, & Gloſſa ibi recepta verbo. exemptus. In hortis Religioſorum, diſponit c. ex parte. 1. de decimis. In hortis leproſorum. cap. nuper de Eccleſ. ædificand. cap. fin. vt lite pend. Guttierrez lib. 2. Canonic. cap. 21. & conſ. 5. Suarez dicto libro de vero cultu, cap. 19. a principio. Quod quidem Priuilegium a iure ipſis Monachis erat indultum, vt colligitur ex dict. cap. ex parte, vbi Alexander Tertius expreſſe Monachos eximit, vt decimas non ſoluant de laboribus ſuis; antea namque Monachi, ac Laici decimas ſoluebant, vt notat Gloſſa in d. cap. ex parte, & poſtea, Gregorius Summus Pontifex eos ſimpliciter exemit a ſolutione decimarum, vt pungit Rebuffus de decimis, quæſt. 14. num. 27. & 38. & Suarez d. cap. 19. num. 2.

Vnde fit, quòd conceſſo nouo priuilegio Ordini Domini noſtri Ieſu Chriſti, non poteſt dici nouum priuilegium, ſed renouatum illud, quod a iure erat conceſſum, cui nouum addit robur illa noua conceſſio, explicat eleganter Suar. de legibus lib. 8. cap. 20. nu. 6. & cap. 19. per totum, licet in eo, in quo addit iuri antiquo, aliquid de nouo conceſſiſſe videatur.

Accedit, quòd quando alicui Religioni, vel perſonæ priuilegium conceditur, per quod a legis communis præcepto eximitur, prout in hoc caſu, & tale priuilegium in vſu eſt, in eo datur quædam poſſeſſio continuatiue habita in actu circa cauſas præſentes, & in habitu ad futuras, ita vt quoties contigerit, vt aliquis actus ex contentis in priuilegio contingat, iam videatur in antiqua poſſeſſione comprehenſus.

Vnde fit, quòd conceſſo Ordini de Tomar priuilegio, ne decimas ſoluat ex terris a ſe cultis, quoties res apud priuatos decimas ſoluebat ad priuilegiatum deuenit, poſsit ceſſari a ſolutione decimarum; quia Ordo ille cum ſit in poſſeſſione ſui priuilegij, nulli facit iniuriam, nec violentiam, ſi poſſeſſionem in habitu ad actum reducat, explicat Cabed. 2. par. areſto. 17. & 57. vbi res tributaria ex perſona, cui acquiſita fuit, releuatur ab onere tributi.

Nec obſtat l. 2. S. ex his ff. verbor. oblig. vbi ex mutatione perſonarum rei qualitas non mutatur, quia procedit in qualitatibus, quæ rei ipſo inhærent, quod nullo modo decimis conuenit, quod ex prædijs ſoluuntur; in illis enim, nullum

reale onus conſideratur, quod rei inhæreat, & cum ipſa tranſeat, cum potius a perſonis exigantur decimæ ex fructibus collectis a ſolo, qui cenſentur obnoxij ſolutioni non prædia ipſa, licet aliqui ſentiant hoc caſu dari hypothecam in bonis debitoris ad ſimilitudinem vſurarij, vt per Suar. de diuino cultu, lib. 1. c. 38. nu. 10. & 11.

Cum igitur Monachi illud habeant priuilegium in iure clauſum Bullis Apoſtolicis roboratum, ne decimas ſoluant, ex his quæ colunt, vtendo ſuo priuilegio, nulli vim inferunt, ſicut aliàs conductor non poteſt non rem domino tradere finito locationis tempore. l. conductores. C. locati. l. ſi quis conductionis. C. eodem. l. non abs re. C. vnde vi, Ord. lib. 4. titu. 54. §. 3. tamen huius legis probibitionem non offendit, ſi ex nouo titulo antiquam poſſidendi cauſam introuertit, Valaſc. conſ. 42. num. 3. Menoch. remed. 11. recuper. num. 42. & 43. Et ſicut aliàs Clericus hæres laici forum defuncti non ſubit, ſed ſuo vtitur priuilegio contra iuris regulas. quæ dictant hæredem teneri ſubire forum defuncti. l. hæres ff. de iudicijs, niſi iam citatus fuiſſet. l. ſi is qui Romæ. 34. ff. de iudicijs. Rota Genuenſis 330. quia priuilegium non operatur cum tertij præiudicio, cui præoccupatione, erat ius quæſitum ante priuilegiati ſucceſſionem. Aufrer. de poteſtate ſeculari ſuper Eccleſ. 2. reg. num. 7. ſi tamen clericus citetur pro debito defuncti adhuc non citati, vtetur ſuo priuilegio, quia cauſa contingit tempore ſuo, Ordinat. lib. 2. titu. 1. §. 8. nec enim vim committit, quia priuilegio vtitur in caſu ſibi conceſſo.

Ex quibus iuſtiſsima fuit hæc ſententia Senatus, quia Monachi vtendo priuilegio ſuo, nullam committunt violentiam, cum authoritate ſui priuilegij poſſideant, & iuris approbatione, non propria authoritate, nec per violentiam, prout requiritur, vt competat interdictum vnde vi.

Nec obſtant citata in contrarium, quibus abunde ſatisfit ex ſupra poſitis, & ex his, quæ eleganter Guttierrez d. conſ. 5. quam videas.

Hæc ego, non qui maiore eruditione, ſed qui minore periculo Moderatorum meorum autoritate iuſſus exaraui. Negligit nimirum bona cauſa inepti defenſoris patrocinium. Errata ſi diſſimules, humanitatis tuæ erit; ſi corrigas, caritatis. Vtrumcumque feceris; a me initurus es gratiam. Memineris tamen, quando re in partem omnem ſedulo ad libellam examinata, perſona tantiſper depoſita, abiectaque pertinacia, cum multis errauiſ: vix eſſe; vt quod ſentio, non aliqua ratione opinabile relinquatur. Faſtidies, ſuſpicor, huc a me accerſita ſcriptorum verba; probabis, ſpero, præter vnicam veritatis peruestigationem, diligentiam, & ingenuitatem meam. Hanc, qua ſtare te nolui meæ, vel aſſertioni, vel fidei; illam, qua leuare te ſtudui conquirendarum doctrinarum labore. Neque vero tam ſcientiſſimorum virorum conciliaui mihi ſuffragia; quam integra tibi eorumdem teſtimonia paraui. Ea, quo promtius præſto eſſent; fideliter, prout ſe penes autores ſuos habent, repetenda duxi. At enim

plus

plus nimio prolixa ſcriptio importuna eſt: moleſtius, ſi quid intelligo, e libello ad Bibliothecam idemtidem ablegari. Quod ſi ne hæc quidem ſatietatis tibi excuſatio ſatisfaciat: illud te moneo eam ob rem diuerſa typorum forma hæc eſſe litteris conſignata; vt Aſiatice fortaſſe ſcripta a breuitatis ſtudioſis ſine cunctatione Laconice percurrantur.

Hieronymus Pecorarius e Societate IESV.

VA1 133449

Errata præcipua.

Pag. 8. Lin. 30.
Religionem. Religioſorum.
Pag. 16. Lin. 5.
Poſt verba illa, a Decimarum ſolutione
Deſunt hæc. Locum habere.
Ibidem. Lin. 6.
Poſt illa verba Tomo 1. Deſunt hęc.
Libro 1.